



EX LIBRIS PAULI MENSO



BOUND BY RIVIERE & SON



QVADRIGA ÆTERNITATIS.

IN DOMINO MORIENS ILLE BEATVS OBIT.



MORS ROTA PRIMA IVGI: QVO IVSTO TRAMITE CVRRVS:

POST FATA SVRSVM: VEL DEORSVM VOLVITVR.

VNIVERSI GENERIS HVMANI META,

Carmine composita, Iconibus et sententiis illustrata.

Questus Iambici de vitioso horum temporum statu.

PECCANTIVM MORS PESSIMA.



MONACI.
APVD RAPHAELEM SADELERVM.
CIↃ IↃC XIX.

ADMODVM REVERENDO, NOBILI ET DOCTISSIMO VIRO, AC Domino Ioanni Cholino, SS. Theologiæ Doctori, Serenissimi Principis Archiepiscopi & Electoris Coloniensis Consiliario secreto, Metropolitanæ & Cathedralis, necnon collegiatæ Ecclesiarum SS. Cassij & Florentij, Coloniensis, Leodiensis, & Bonnensis respectiuè Præposito, Archidiacono, & Canonico presbytero, Domino mihi cumprimis colendo.

INTER res, quæ tempore, rerum omnium edacissimo, nec vilescunt, nec imminuuntur, quin potius crescunt & augentur, primas arbitror obtinere AMICITIAM, non quamlibet tamen, & passim, sed inter illos contractam, qui sub eodem cœlo nati, domi forisq; morum & studiorum similitudine in intimam animorum consen-

ſenſionem coaluerunt. Talem eſſe illam, quæ inter te admodùm Reuerende & amplißime Domine, & parentem meum, omni pietatis ſtudio mihi colendum, ante annos plus minus quadraginta in almo Bauariæ Lycæo Ingolſtadiano, diſcendo & docendo primitus inchoato, & deinceps in Sereniſſimorum, optimorùmque inclytæ huius Patriæ Principum & Dominorum, obſequijs continuata, mutiuſq; gratificandi ſtudijs confirmata, huc vſq; fixo ſtat pede & incuſſo fundamento, non dubito, quin, ſicut parentem meum quotidie, ſic quoq; R.dam Do. V.rami iucunda recordatione ſubinde oblectet. Cuiuſmodi amicorum memoria, quanto rarior eſt, in hac præſertim ſeneſcentis Mundi prauitate, quà pleriq; ſui ſuorumque obliti, ad primum mutatæ fortunæ nouitatem, ſubito alteratis moribus fidem quoque mutant, & inſoleſcunt, tanto præclarior, & maiore cum laude de R. D. V.a celebratur, quod in iſta Eccleſiaſticarum dignitatũ & fortunarũ, tanquam

cæle-

cæleſtis roris pinguedine, æquabilem illum bonæ mentis tenorem ſeruans, non deſinit illos amare, quos olim ſibi delegit amicos & commilitones. Incredibile enim, quantam lætitiam voluptatemq; Parenti meo, quem amoris & Reuerentiæ ergo libenter, & merito ſæpius nomino, non ſolum humaniſſimæ & doctiſſimæ litterę veſtræ adferant, verum etiam quantopere animum ipſius, feſſum iam, anniſq; & laboribus labaſcentem recreent & reficiant crebræ illæ ſalutationes, & de Vita ac valetudinis ipſius ſtatu accuratæ ſciſcitationes, quæ nobis per diuerſas litteras & nuncios, qui iſthinc ad nos veniunt, iuſſu veſtro renunciantur. Perge igitur R.de admodum & ampliſſ. Domine, iſta tua virtute frui, quam naturæ bonitate, eximia optimarum rerũ ſcientia, earumque longa & continua exercitatione, quaſi vſucapione tibi propriã feciſti, quippe quem conſtat à primis ætatis ſuæ annis, maiores ſe reuereri, pares amare, inferiores non contemnere, deniq;,

quod inter omnes morales virtutes familiam ducit, de omnibus bene, de nemine male mæreri didicisse & assueuisse. Vt igitur illius, quam dixi inter R. Ampl. V.ram & Patrem meum contractæ & stabilitæ amicitiæ testimonium aliquod publicum, quantulocunq; tempore post fata vtriusq; duraturum extaret, visus sum mihi nihil præter, multò minus contra illud, quod est omnium humanorum actuum quasi sal & condimentum, τὸ πρέπον, facturus, si hanc QVADRIGAM ÆTERNITATIS, quam amantissimus Pater meus VLTIMÆ hominis lineæ, à qua octogenarius prope abest, memor, cygneà hac cantione horis succisiuis, à grauioribus in Rep. functionibus, paulo minus toto liberatus exornandum sibi sumpsit, R.dæ D. V.ræ nomine & titulis, tanquam clypeo quodam contra Momorum aculeos munitam, in publicum emitterem, quam vt R.da D. V.ra tanquam signum & argumentum perueteris amicitiæ paternæ, ideoque

hære-

hæreditariæ, & meæ erga ipſam obſeruantiæ beneuolè accipiat, precor & ardentibus votis opto. Soſpitet illam ter Opt. Max. rerum omnium auctor & director, cuius benignitas nos poſt hanc in futuram vitam perennem, quadriga gratiæ ſuæ, quâ Heliam in cœlum rapuit, transportare dignetur. Monachio Kal. Ianuarij Anno à virginis partu M. DC. XIX.

R.dæ & ampliſſimæ
Do. Veſtræ

*Ad omne officiorum genus
paratiſſimus*

GVILIELMVS GAILkircherus, Canonicus Auguſtanus ad S. Mauritium.

AD LECTOREM.

NON inanis opera æstimari debet eorum, qui monitis & doctrinis sacrarum literarum ad vitam moresq; hominũ formandos à spiritu sancto dictatis, etiam Philosophorum, aliorumq; Ethnicorum Scriptorum sententias coniunxerunt, ijsq; animos Christianæ iuuentutis à teneris imbuendos esse existimârunt. Nam sicut ex Ethnicorum benefactis acriores adduntur stimuli ad virtutem, quam nostratium, cum subit animo, quàm turpe sit, non id perspicere pectus euangelica luce illustratum, quod perspectum est ijs, quibus sola naturæ scintilla prælucebat: Sic philosophorum sententiæ & dicta, si quæ forte vera & fidei nostræ accommoda dixère, maximè Platonicorum, non solum formidanda non sunt, sed ab ijs etiam, tanquam iniustis possessoribus, in vsum nostrum vindicanda. Facile est enim, & quasi intenso digito monstrari potest, quicquid ab Ethnicis, tum Poetis, tum Philosophis, tum Historicis cantatum, scriptisq; & litteris mandatum ad nos peruenit, id

omne

omne, quatenus diuinitatem & animarum immortalitatem, veramq; morum honestatem spectat, ex Mosaicis & Propheticis scripturis, vel clam surreptum, vel fabularum inuolucris tectum, & obscuratum ab ipsis ad posteros transmissum esse. In istam fere sententiam disserit Sanctus Augustinus in libro de Doctrina Christiana cap. 44. & Basilius in lib.[s] De vtilitate ex scriptis Ethnicorum capienda.

Ad clariorem huius conbinationis, seu consonantiæ profanarum cum sacris sententijs demonstrationem, adiecti sunt plerisq; versibus numeri marginales, quibus respondent subsequentes ad prosam similiter notati.

SPES HOMINVM TANQVAM SPVMA GRACILIS, quæ à procella diſpergitur. Sap. 5.

HOMO BVLLA.



BVLLA quid eſt fragilis, vernans FLOS, FVMVS in aura?
Eſt nihil. an VITA eſt his potiore loco?

MEMORIA NOVISSIMORVM:

FRÆNVM PECCANTIUM

1 EST HOMO BVLLA recens collecto turgida flatu,
Stagnis parumper, & fluentis innatans.
Quæ vento exiguo subitò dispulsa fatiscit,
Soluta in auras nusquam apparens amplius.
2 Quale repertino FOLIVM raptatur ab Austro,
Librà dies pares faciente noctibus.
Et viridans agro demessum cespite gramen,
3 FOENVM fit illico, bidentum pabulum.
Omnia sic hominum subitis exposta ruinis,
4 PVNCTO volantis euanescunt temporis.
Quod datur hic vitæ spacium mortalibus vsu,
5 Vtcunq; longũ, annos vel adæquans NESTORIS
Non est, crede mihi, dignum, quod vita vocetur,
6 Tantum VIA est ad vitam ducens alteram.
Quam vero vitam? quæ nunquam desinit esse
Sædes doloris æterni, vel gaudij.
Quis dolor & quantus, quæ post hanc gaudia vitam,
Certo manent omnes fato superstites,
7 Ferrea VOX NEQVEAT, nequeant centum ora referre.
Nec cogitatus assequi mortalium.
Quisquis es, hæc tecum non pigrà mente volutans,
Vitam quid hanc non transigas prudentius?

Quæ

8 Quæ BREVIS & tenui pendens à stamine FILI,
9 VICISSITVDINVM subiecta est casibus
10 Nil STABILE in mundo, varie rotat omnia FATVM,
11 Toto nihil perennat orbis ambitu.
12 Terque quaterque Bonis maior mensura Malorum est,
Centum malis hora vna constat lætior.
Qualiter vnda vndam, turbantibus æquora ventis,
Impellit, & miseros exercet nauitas:
13 Vt LABOR agricolis durus redit actus in orbem,
Actiq; finis est noui primordium:
14 Sic mala perpetuis veniunt innexa CATENIS,
Ansa trahente ansam, malo in peius malum.
Dira FAMEM pestis, PESTEM horrida BELLA sequuntur,
Dolor dolorem, luctum luctus excipit
Corpora quot membris hominum compacta mouentur,
Totidem febres, & morbi torrent viscera.
Si qua subinde animos afflat iucundior aura,
Phœbum serenum mox obumbrant nubila.
15 Quod iuuat, & VOLVPE est, quod suauiter afficit artus,
Euro fugit rapidissimo velocius.
Pœna sequens iustas irritans Numinis iras,
Nullis habet finem, modumque sæculis.

Pun-



PVNCTVM EST, QVOD VIVIMVS ET ADHVC puncto minus: MORS nos sequitur, vita fugit, Sen. Epist. 50.



Quisquis es, extremam morituri percipe vocem,
Hoc ait ille, mori vin' bene? viue bene.
R. Sadeler.

16 QVi ſupereſt HODIE, validusq; hac veſcitur aurâ,
CRAS morte proſtratus cibus fit Vermium
17 Dum ſibi diues agri, diuesq; ex FOENORE nummis,
Securus in bonis bonos ducit dies,
Viue, ait, ô anima, & rebus tibi plaude ſecundis,
Curæ faceſſant, atri humoris germina.
18 TYMPANA læta ſonent, iuuet indulgere choreis,
Vinis & vnguentis recreemur optimis.
Mille mihi pictis errant in Collibus agni,
Fruges coactas non capeſſunt horrea.
Ære tument loculi, factum infectumq; metallum
Arcas flagellat, & coronat atria.
Vitæ ſumma breuis, volat irremeabilis Ætas,
19 Mors omnium finis rerum eſt, & temporum.
Ergo ne, Stulte, neges cœlos & Tartara? pœnas
Dubites ſequi Malos, Bonosque præmia?
Impie deliras, cæcis percuſſe tenebris,
Qui mentium finem credis, qui corporum eſt.
20 Morte carent animæ, quarum cæleſtis origo eſt,
Et ſpiritus, quem vita nunquam deficit.
21 Corpora conduntur terræ, ſerpentibus eſca,
Quod prima erant iterum fiunt origine.
22 Tempus erit, fortaſſe breui, quo mortua ſurgent
Suis redintegrata membris corpora:
Vt pariter Vitæ penſent male geſta peractæ,
Vel cælicis vnà fruantur gaudijs.
23 Reſpice quàm celeres paret Atropos atra ſagittas,
Semel ſtatutis non addens moras moris.
Quis ſcit an expectet te Solis craſtinus ortus?
Hac nocte forte ibis præceps ad inferos.
Cuius erunt, quas cogis opes? poſſeſſor & hæres
Indignus Illas diſſipabit proximus.

Qui

24 Qui vitam tolerat, Pharij de more Philetæ,
Quà non putés expilat horà diuitem.
Non scit Avis laqueos quibus incautam implicat auceps,
Piscem latet quo vitet hamos gurgite.
Sic vbi vel quando præcidant stamina Parcae,
25 Filumque ferre desinant subtegminis,
Haud vlli fas est hominum prænoscere, nullus
26 Prognosticus vel augur id præsagiat.
27 Lanificæ Certvm statuunt, seruantque sorores
Vitæ & necis diem, nulli exorabiles.
28 Croesvs & Irvs inops æquali falce metuntur,
Nec hunc preces, nec illum auri vis liberat.
Pallida mors æque turrita palatia Regum,
Ac pauperum viles pulsat tabernulas.
Pessulus obductus Parca cædente trahendus,
Frustra fores tali obserantur hospiti.
Vt senio fractos, sic sternit corpore firmos,
Auos, nepotes, nuptas, & non nubiles.
29 Lex ita Natvrae, sic fert æterna voluntas,
Regis suo torquentis cuncta numine.
30 Nascimur impariter, Pariter succumbimus, vnus
31 Cunctos Cinis mortales æquat luridus.
Omnibus introitus par, exitus omnibus idem est,
Præiens sequenti apertas valuas porrigit.
Conditio dispar hominum, Mors omnibus æqua est,
Omnes Charontis vna cymba traiicit.
32 Lugentes alij (quæ turba est plurima) campos,
Pauci beatiores sedes obtinent.
Quisquis es hæc imis retinens impressa medullis,
Summi memor diei & summi Iudicis
33 Quid meditaris Opes? quid amore ardescis habendi?
Villas coëmptis quid dilatas prædijs?

Quid

34 Quid veteres iactas, quibus ornas atria CERAS?
Quid faſcibus ſuperbis & ſecuribus?
35 Quid Venerem impuram? quid captas pocula Bacchi?
36 Cutem quid exquiſitis curas PRANDIIS?
37 Momento fugiunt hæc ocyus omnia: LVCTVS
Extrema gaudij funeſtus occupat.
38 Ceu VAPOR exhalans fumi fornacibus ater,
Euro leui ſparſus per nubes diſperit.
39 STVPA humore carens, ſcintillà concipit ignes,
40 Quibus in FAVILLAS verſam VENTVS diſijcit.
41 PENDVLA ſubtilem quam texit aranea telam,
Veſpa inuolans inopino rumpit impetu.
Aut circumuolitans culices dum glutit hirundo,
Telâ reuulsâ ipſam textricem deuorat:
42 Sic homo, ſic res ſunt humanæ: PVLVIS & VMBRA.
43 Falſiſq; SOMNIVM ludens phantaſmatis.
44 Irrita nos CVRIS exercent vota moleſtis,
45 SPEM fallit euentus votis contrarius.
46 Cultor egenus AGRI, noctuq; diuq; laborem,
Spe meſſis vberis ſolatur arduum.
Tempus vbi aduenit, quo cogat in horrea fruges,
Triſtes colonis cuncta vaſtant grandines:
Quid moror, & varijs àures ſuſpendo figuris?
47 Vis verbulo dicam, quid hic ſimus? NIHIL.
Ex nihilo & luteo conflari plaſmate terræ,
Paucis ab ortu annis in idem reſoluimur.
Et tamen, ô cæcà mentis caligine capti,
48 VANIS ſtudemus indefeſſi reculis.
Hiſce animi vires totas impendimus, omnes
49 Opum SITI ſiccis hiamus faucibus.
50 Nil ſatis eſt auidis æris, quos nulla coactæ
Tantum rei cogendæ cura diſtinet.

51 Cui, quod habet, ſatis eſt, nec vi, nec fraude paratum,
Vltra nihil quærens, optansq; , hic DIVES eſt.
52 Fare age quid Crœſi? quid CRASSI diuitis aurum?
Midæue quid tandem iuuet potentia?
Quidue per Europaſq;, Aſiaſq;, Africaſq; triumphos
Meruiſſe tot, quot Magnus Romuli nepos,
Si facies animæ, nunquam reparabile damnum,
Frequens opes & honores appetentibus?
Cernimus ante oculos fontes, cauſiaſq; malorum,
53 Docent libri, ſignant EXEMPLA temporum.
Aſſiduo noſtras talis vox attonat aures,
Muta malos, boniſq; aſſueſce moribus.
Nil magis in totà mundi ad mirabile mole eſt,
Nil intimi ſenſu doloris dignius,
Talia quam Chriſto nos ſcire docente Magiſtro,
Nec altiore mente, animoq; apprendere:
Sed quotus à vitijs, & quis ſibi temperat? omnes
54 AVRI fames, ſitiſq; HONORVM inebriat.
55 Totus in omne genus vitiorum diffluit orbis,
'E millibus multis vix vnus iuſtus eſt.
Omnia faſtus habet, ſequiturq; SVPERBIA faſces,
Falſis paratos artibus, vel ſordibus.
Exhauſtus ſenio iuſto ſpoliatur honore;
Pari inuidetur; infimus contemnitur.
56 Tanta fuit quondam capitis reuerentia cani,
Tantuſq; honos rugis habitus ſenilibus,
Vt meritis anniſq; graui mandante Lycurgo,
Quicunq; barbatus, iuueniſq; aſſurgeret,
Nunc pueri indomiti riſu, ſaniſq; ſequuntur
Caluos per ardua aſcendentes montium.
Digni quos ſæuis metuendi dentibus vrſi,
Lybiciq; diſcerpant Leones vnguibus.

Quas

Quas dat opes Ganges, quas Indus aromate diues,
Quicquid ſuis Seres texunt araneis;
57 In luxum & Veneres EVROPA ſoluta nefandas,
Ventris gulæq; diſſipat cupedijs.
58 PATRIA tergoribus quondam contenta ferinis,
Nunc ſericis togis tinctiſq; inambulat.
59 Rhenus Orontæà bombyce ſuperbit, & ornos
Optat ſuas Cyprià lanà pubeſcere.
Luxuriæ nidos, animi vexilla procacis,
Nitor peregrini veſtitus arguit.
Natio quæ quondam vix norat munera Bacchi,
Iurata dapibus abſtinere extraneis;
Illa patrum ſobrios mores oblita, per orbem
Intemperantiæ malè audit nomine.
Quid multa? in vetitum certatim nitimur, omnes
Veliſq;, equiſq; ad inferos contendimus.

QVANDO TE INVITAT APPETItus ad peccandum, cogita extremum Iudicium, Basilius.



Quidquid agis, vox illa tuas tibi personet aures,
Venite mortui ad supremum Iudicem.

SCilicet immemores ſupremæ ſortis & horæ,
60 Qua mortui RECTA ſiſtemur Iudici,
61 Viuimus vt nunquam morituri, Numinis iras
Nullas, vel expreſſis leuiores credimus.
62 Quod Cœlo edocti præſcimus, & ore fatemur,
Factis negare nec pudet, nec pœnitet.
63 Inſipiens ſecum, NON EST DEVS, inquit: Auernus,
Styx & canis triceps vatum ſunt fabulæ.
64 Aut FATVM, aut cæco regit impete ſingula CASVS,
Süo Deus vacat ſine curis otio.
Quod fato certum eſt, quid enim mutare laboras?
Aduerſus in certos caſus quid præpares?
65 Quo ruis ah demens? quæ te veſania cæpit,
Vt præſcium Deum neges & prouidum?
Falleris, & quotquot tecum hoc errore vagantur,
Incongruo decepti omnes mendacio,
Diuerſum RATIO, diuinæ mentis imago,
Sacris profanis dogmatis ediſſerit.
Eſt DEVS, eſt vnum diſponens omnia Numen,
Cœlo potens, terris dominans & inferis.
Cui cordi ſunt res hominum, qui ſolus ab alto
Nil non videns ad amuſſim cuncta diſcutit.
Huic animam debes tantum tibi iure locati,
Vel commodati ad vſum vitæ traditam,
Scilicet vt certum facias ex fœnore quæſtum
Placitum Deo, Reiq; publicæ vtilem,
Vt peregrè tandem rediens magnæ ille tabernæ
Exercitor, talentorumq; creditor,
Inueniat tabulas accepti ad iuſta redactas
Momenta calculi, & rationum regulas.
Sic tibi laudato maiora negotia credet,
Partemq; lucri liberalem conferet:

Sin autem piger, & ſomni captator inertis,
Negotijsq, abhorrens, ſeruus otij,
Malueris terræ obſcuræ mandare talentum,
Quam fænebres nummos nummis extendere.
Opprimet incautum paupertas debita pigris,
Menſiſq; ſecluderis argentareis.
66 Ergo animæ miſerere tuæ, fac edita cœlo
Deo placens, eodem rurſus euolet.
Nec populi captes auram, nec culmina Regum,
Rara eſt fides in aulis, vulgus mobile.
Tecum habita, paruo contentus, & vtere paucis,
Charis Deo, accenſiſq; amore proximi.
67 Sint tibi, ſint primæ MEMORARE NOVISSIMA curæ,
Altà dies æternos mente concipe.
68 Quicquid ages ſonus ille tubæ tibi perſonet aures,
Venite mortui ad tribunal vltimum.
69 Hic hic vel minimi ratio ſubigenda quadrantis,
70 Mentis receſſus hic pateſcent intimi.
71 Hiſce animus frœnis compeſcitur, hiſce catenis
Intra modeſtiæ metas mens cogitur.
O funeſta DIES, ô inenarrabilis HORROR,
Cum magna rerum collabetur machina.
Infima cum ſummis, nullo ordine mixta ferentur,
Moti ſuis poli nutabunt axibus.
Terra tremiſcet hians, miſcebitur aëre pontus,
Vaſto fragore incumbet Oſſæ Pelion.
Ceræ inſtar montes flammâ crepitante liqueſcent,
Regum occident & Principum Palatia.
Quas dedit Hermus opes, quas gemmas Indus & aurum,
Vnde erutum eſt, imus repoſcet Tartarus.
Cœlo ibit clamor, repetita tonitrua mentes
Mortalium metu percellent anxias.

Cim-

Cimmerijs lampas Phœbi nigrabitur vmbris,
Stellæ ruent, globos stillantes igneos.
Buccina terrifico reboans clangore per orbem,
Tumbis reuulsis euocabit mortuos,
Ius experturos cuiusq; æquabile gestis,
Vrnam mouente, non Minoë Gnosio.
Non Rhadamanto illo, qui longo examine vitas
Scelerum reas indaget & discriminet.
72 Qui super astra sedens, oculo omnia cernit acuto,
Res inferas, superasq; nutu dirigens;
Qui latebras cordis primis rimatur ab annis,
73 Stylo notans gesta ac gerenda FERREO;
Ille habitu, & Maiestatis fulgore tremendus,
Arcu sedens varijs apto coloribus,
74 Iudicibus SENIS dextrà, læuàq; locatis,
75 Ter mille millies stipatus ANGELIS,
Iusticias æqua dispensans lance, iubebit
BONOS venire, MALOS seorsum abscedere.
Qualis Vere nouo, longæ post tædia brumæ,
Pastor gregem cogens ad prima gramina:
Lanigeras procul à villosis segregat hircis,
His destinans læuam, dextram balantibus:
Sic Iusti vindex, hinc lauro, inde ense coruscans,
76 Vnâ coactos VALLE omnes affabitur.
Ite Mali æternis titiones ignibus, ite,
Venite vos lecti à rerum primordijs.
Vobis cura fuit mea iussa facessere, vobis
Eadem neglectim habere, & vili pendere.
Regia vos Cœli fatis melioribus vsos,
Styx atra vos flammis expectat æstuans.
Haud mora Cœlicolas iuuenes, Diuumq; ministros,
Turmamq; Dæmonum malorum plurimam,

Cernere erit, Magni decretum explere Tonantis,
Et iudicatos in classes discernere.
77 Quos pater à prima PRAEVIDIT origine rerum,
Fidei fore integros, purosq; criminum,
Laureolis illi insignes victricibus ibunt,
Læti trophæis, & laborum præmijs.
Astra petent turbâ niueæ stipante cohortis,
Et cæteris patriæ cælestis ciuibus.
78 Quos vero scelerum nunquam satiata libido,
'A semitis virtutum abegit deuios.
Suauius esse ratos, mammas haurire Megæræ,
Quam lacte cœlorum Matris pinguescere,
Illos nigra manent Cocythia stagna cremandos,
Flammis inexstincto nutricis sulphure.
Ah dolor, ah pudor, ah neglectæ cura salutis,
Quantis quibusq; tunc pœnis vrgebitis?
79 Hæc ea TISYPHONE est, furiarum maxima, sæuis
Reos flagellis continenter lancinans.
Et subigens sontes commissa piacla fateri,
Ad vltimum vitæ dilata terminum.

RE-



REGNVM DEI VIM PATITVR, ET VIOlenti (puta desideria carnis spiritu domantes, Paulus ad Gala. c. 5.) rapiunt illud, Matthæi cap. 11, Lucæ cap. 16.



Cælituum spectare choros res pulchra, sed inter
Hos spectari, inquis, pulchrius esse choros.

QVisquis es, æternæ quem Spes fouet alma ſalutis,
Animos & aures huc attentus arrige.
80 Euigila, & tandem lethæum abſolue SOPOREM,
Moras moris quo pergis vſq; nectere?
Ceſſit, & ille DIES venit, quo ſurgere pigros
81 Lectis decet, Dominiq; opus capeſſere.
82 Deſere quà LATE ſcelerum via ſpectat Auernum,
Virtutis arctiorem inſiſte ſemitam.
83 Corde TIMERE DEVM, nulliq; innectere FRAVDEM,
Quod fas & æquum dictat cuiq; reddere.
84 Hæc via virtutis ſolidæ eſt, hâc itur ad Aſtra,
Hâc Ditis euitantur atri limina.
85 FATVM agnoſce, Dei vox eſt, & ſanctio MENTIS,
Semel ſtatutis non mouenda finibus.
86 SPEMq; FIDEMq; Patri, rerum cui ſumma poteſtas
87 Defige: quod vult ILLE, & tu ſemper velis.
Sic tibi dum ſuperes bene erit, vitàq; relictà,
Æui fruêris ſempiterni gaudijs.
88 Aurea, quà tellus cœlo ſuſpenſa, CATENA eſt,
89 Nefas eam ſcrutari curioſius.
Prouida MENS vno, quæ cuncta tuetur in ictu,
Quæ ſunt, erunt, & retro lapſa ſæculis,
Principij, finiſq; expers, rerum auctor & altor,
Solus ſcit anſarum nexus, & ordinem.
90 Hæc illa eſt SCALA Iſacides, quam vidit Abrami,
Saxo incubans Nepos, & altum dormiens.
Quæ pede fixa ſolo, caput vltra ſidera condit,
Ad ibi ſedentis ora & aures Numinis.
91 Hac pueri alipedes, Puræ ſine corpore mentes,
Vltro citroq; ibant, redibant Angeli
Faſq; nefaſq; hominum iuſſi memorare ſedenti,
Pœnas Malis, Bonis curantes prœmia.

Quæ

Quæ SERIES, cauſſæq; Deo ſic cuncta regendi,
Ipſum ſat eſt ſolum ſcire & dignoſcere.
92 Tu modo FIDE DEO: GENIIS PARE: vtere fatis
93 Placitis Deo; mori paratus in dies.
Ambiguum Fatum certum tibi feceris, vnâ
Scelerum fugâ. & virtutum operationibus.
94 Ardua principio virtutis ſemita ſpinis,
Tribulis, & vrticis inhorret vndique,
95 His ſemel inuicto ſuperatis robore Mentis,
Amaranthinæ roſæ coronant exitum
96 Si quod agis, VERVM eſt, redimens virtute laborem,
Longum breues ſequitur labores Gaudium.
Turpe quod admittis falſo deceptus AMORE,
Nimbos agente Euro fugit velocius.
Quod ſcelus vt faceres placuit tibi Dæmonis aſtu,
Poſt ſe relinquit certum, at ſerum pœnitet.
97 PAENITET euentu dubio, quem pœnitet actæ
Vitæ ſub exceſſu demum nouiſſimo,
98 TARDA nimis Metanæa, mali dum fomitis ardor
Exſtinguitur prius, quam tu malum oderis.
Plena periclorum res eſt confeſſio culpæ,
Ad vltimam rerum dilata lineam.
99 Non ſapit in cœptans tunc primum VIVERE, quando
Fatis propinguis deſinendum eſt viuere?
Viue Deo, lethi ſemper memor, integer æui,
Dum corpori ſano MENS ſana præſidet.
Millibus è multis vix vnus inaudijt illud:
Hodie patet cœlum tibi latruncule.
Mecum eris Elyſijs campis fruiturus, & hortis
Fructu ſalutis æternæ virentibus.
Quid vitijs igitur laxas inſauus habenas?
Vitam quid emendare differs indies?

Hora

100 Hora ſugit: culpæ creſcunt: mors oſtia pulſat:
AGNOSCE: pœniteat te: mores corrige:
His gradibus repetes errati compita cœli,
Ad cælites hæc expedda eſt ſemita.
Conuentâ peregrè properans mercede Viator,
Quantum ſat eſt ſecum portat viaticum.
Tuque homo longinquas per lubrica iturus in oras,
Vnde ad tuos nunquam redibis amplius.
Artis & æris inops, & toto corpore nudus,
Medios per hoſtes in dubiam te des viam?
101 Mel ſibi condit APIS ſtudioſè æſtate ſerenà,
Quo viuat Autumni nimboſis menſibus.
102 Parua, ſed illuſtre exemplum FORMICA laboris,
Iuſto ſuum ſibi far componit tempore.
Ore trahit pondus ſe maius, & addit aceruo,
Hiemi propinguanti maturè prouidens.
At qui homo participans cœleſtis luminis auram,
Æternitatis & cœlorum conſcius,
Ceſſat & vtramuis dormit ſecurus in aurem,
Bonis caduca ſempiternis præferens.
103 Pauperiem fugiens curritMERCATOR ad Indos,
Thulemque terrarum ſcrutatur vltimam
Peruolat Oceanos toto hinc inde orbe remotos,
Mundiq; clauſtra non horret perrumpere.
Vt ſibi cogat opes, irritamenta malorum,
Vel nominis famam relinquat poſteris.
Et nos theſauros cœli conflare pigeſcat,
Nullo domi parabiles diſcrimine?
Quas neq; conſumant tineæ, nec prædo marinus,
Nec fur diurnus, aut nocturnus auferat?
104 Fœlix ille animi, ter & amplius ille BEATVS,
Quem prima cura opum tangit cœleſtium.

Affluet

Affluet huic pleno reliquorum copia cornu,
Votisq; congrui succedent exitus.
105 Quid iuuat hic titulis omnes præuertere honorum?
Sacris, profanis, pingi & fingi in atrijs?
Et nisi præmisso rauco stridore tubarum,
Domo egredi, cinctum manu clientium;
Si breuibus vitæ gyris hic nequitur actis,
Ludibrijs æternis pòst torqueberis?
O sine consilio gens, & sanæ indiga mentis,
Instantium malorum incauta & negligens.
Hic vbi nullus eris, paucis vertentibus annis,
Varijs rei faciendæ curis angeris.
Ast vbi semper eris, cariturus fine manendi,
Primariam necessitatem negligis.
Vt terræ palmum acquiras, cœlestia perdis,
Animam caducis immortalem posthabens.
Hic corrasa diu ingratis post fata relinques,
Tantum probi comitantur actus mortuum.
O saperent homines, fixum immotumq; tenerent,
Quid differat DEI, DITISq; seruitus.
106 Quam grauis incumbat MORS vitæ crimine notis,
107 Quam lenis & DEO & SIBI præcognitis.
108 Crediturè cœlo delapsum, γνῶθι σεαυτόν.
Summum bonum est, Deo placere & obsequi.
109 Dulce IVGVM Domini est, leue pondus, amabilis æstus,
Quisquis manus aratro promptus admoues.
110 Vt nihil Inuitis facile est, sic omnia possunt,
Pinguedo cœlestis roris quos irrigat.
111 Non iubet illa DEVS, fieri quæ posse negatum est,
Monet iubendo, vt quod possis, non negligas:
Qui dedit esse, idem dat posse petentibus illud,
112 ACTOR DEO FIDENS nihil non proficit:

Posse


Poſſe iuuat, cui VELLE tuum non diſplicet, vltro
Adeſt pijs hominum DEVS conatibus.
113 Grata Deo inprimis PIETAS, faciliſq; paratu eſt,
Nil cum DEO volentibus fit arduum.
Qualis pluma recens alis elapſa columbæ,
Humi iacens aurà leui ſuſtollitur.
114 At cœno aſperſam, pluuijſue, aut rore madentem,
Nec Eurus alleuet, nec præceps Africus
Sic animæ haud magno releuantur ad æthera niſu,
Quas ardor & pietas exercet affatim.
Aſt irretitas vitiorum indagine mentes,
Longis & arctis expedire nexibus,
Hoc opus, hic labor eſt, pauci quos Æquus amauit
Diuûm Pater, malis aſſuetis abſtinent.
Fertur amica luto SVS, talpà cæcior ipſà,
Surſum volens cœli tueri lampades.
Noctiuagus Bubo tenebris aſſuetus abhorret
'A luce, cæteris gratà volantibus.
Sic qui ſe vitijs totum, propriumq; dicauit,
SANCTIS vacare nauſeat negotijs.
Ceſpitat in TENEBRIS, cæcis ambagibus errans,
'A ſemitis honeſti ad turpitudines.
Conuentus hominum, Diuoſq;, Deumq; colentes,
Ludis iociſq; poſtponit nugalibus.
Immemor vſq; ſui, nunquam imà mente volutat,
Vitam breuem quam multa ſequantur ſecula.
115 MILLE anni ad vitam collati fine carentem,
Vnius inſtar tranſuolant dieculi.
At quid dico diem? momentum temporis anni
Sunt quot ſenex exegit hic Mathuſalem.
116 Vna dies inter Ciues habitata BEATOS,
Vel mille præſtat hic actis lætiſſimè.

Cor

117 Cornigeri CERVI, corui, pluresq; volantum,
Et pars ferarum per ſiluas errantium,
Viuit, &, vt perhibent, ſuperaddit ſecula ſeclis,
Venas alente intus viuace ſanguine.
Sed ſemel è viuis ſublati, & lumine caſſi,
Nihil relinquunt famâ aut dignum nomine.
Vnà morte cadunt ſimul omnia, nulla ſequuntur
Actos labores, & vitam ſtipendia.
Aſt homo diuersâ naſcendi ſorte beatus,
Rationis vſu præſtat vnus omnibus.
118 Particula è cœlo DIVINAE præditus auræ,
119 Et par imago conditoris omnium,
Quod lapſum eſt memorans, venturi conſcius æui,
Vitam breuem, ſpe longioris ſuſtinet.
Suſtinet infracto grauiores pectore Caſus,
Rerum vices & temporum conſiderans.
Altà mente agitans, quam ſit preſſura malorum
Præſentium minor futuris gaudijs.
120 Qui bonus, & ſcelerum PVROS hic tranſigit annos,
Rectus FIDE, SPE firmus, AMORE feruidus;
Non moritur, tantum mens migrans corpore, vitam
Cum ſempiterna mutat temporaneam.
121 Ergo quid horreſcat mortem? quæ IANVA vitæ eſt,
Finis laborum, & ærumnarum terminus.
122 Ad cœlo lectas animas, ſedeſque beatas,
Vnde EXIIT, redit expedito tramite.



IBVNT MALEDICTI IN SVPplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.



Quem pictæ tabulæ, nec pictus terruit ignis,
Æternum veris vritur ille rogis.
R. Sadeler.

123 QVi vero ſcelerum manceps, ceu porca per omnes
Volui reuolui aſſueſcit ſordes criminum;
124 Aut vomitum obſcœnũ reuorans CANIS inſtar edacis,
Mores nefarios mutare reſpuit;
125 Liuidus inuidia: Diuumq; hominumq; ſuperbus
Contemptor: & rerum iuſto plus appetens:
Ira ardens: Baccho: aut Veneri deuotus: & expers
Cultûs Deo rerum factori debiti,
Ille ter infauſtæ perſunctus munere vitæ,
Vt cunq; circumſcriptæ anguſtis finibus,
Ad tenebras Erebi rectâ deſcendit, & Orcum,
Non liberandus vllis inde ſæculis.
Traditus infandis pœnis, quas conſcia prauæ
Vitæ memor MENS mortis expers ſuggerit.
126 Hoc illud Tityi eſt IECVR immortale, quod vnco
Roſtro famens æternus vultur exedit.
Porrectumq; nouem, per iugera tota cadauer
Semper nouis fibris tundit naſcentibus.
127 Hæc illa immenſi moles vaſtiſſima SAXI eſt,
Quam voluit æternum & reuoluit Syſiphus.
Quæ ſemel ad ſummum montis protruſa cacumen,
Grauiore lapſu ad ima rurſus deſidet.
128 Sic & aquas in aquis, & POMA fugacia captat
Pelopis pater, ſiti fameq, tabidus.
Viſcera quod nati mactati (vt fabula vatum eſt)
Cœnantibus Dijs & Deabus obtulit.
Sed quid in abſtruſis figmentis hæreo vatum?
Quæ veritas rei ſit paucis accipe.
Iuſta ſtatim vitâ ſequitur ſententia functos,
Pœnæ malos, bonos operum ſtipendia.
129 Heu quibus (at ſero) votis & vocibus, ORTVS
Diem ſui damnatus execrabitur?

Ah quàm multa gemens, ſuperas rediuiuus ad auras
Volet redire, & acerba quæuis perpeti?
Pauperiem extremam, duros perferre labores,
Siliquis & atri fruſto panis viuere.
Pro ſceptro geſtare pedum, pro conſule ciuis
Poſtremus omnium & eſſe, & haberi ciuium.
Quin hominis formà mutatà, beſtia campi,
Pronus volet paſci terrà naſcentibus.
FATA obſtant, longis hominum iraſcentia culpis,
Nil iam precando vel flendo mutantia.
130 Immenſum CHAOS, & Styx irremeabilis arcet,
Illinc volentes hæc redire ad limina.
Quos ſemel exceptos feralis Cymba Charontis
Traiecit ad trifaucis oram Cerberi,
131 Nulla datur reditus ſpes, nulla remiſſio noxæ,
Flammis in extinctis aſſantur impij.



QVI DILIGIT DEVM, EXORABIT pro peccatis, & continebit se ab illis, & in occasione dierum exaudietur, Ecclesiast. c. 3.

SALVATOR MVNDI.



Nullus homo, Genij solùm hîc venerantur IESVM
Tam rara heu cæcos cura salutis habet.

ORATIO AD DEVM VT humanæ naturæ debilitatem miſeretur.

O Devs, ô hominum, rerumq; æterna poteſtas,
Qui ſolus ex alto ſpectas hæc infima.
Solus in exhauſto, qui dirigis omnia nutu,
Qui iuſtus & miſerans res Mundi temperas.
Huc ades auxilium, & noſtræ ſpes vna ſalutis,
Oculis benignis & firmatis reſpice.
Reſpice nos primæ miſeros errore Parentis,
'A te datis non obſecutæ legibus.
Quando ſecuta dolum aſtuti ſerpentis Adamum
Suaſu ſuo rapuit tranſuerſum coniugem.
Hinc genus omne mali, febres, triſtiſq; ſenectus,
Hinc mortis æternæ imminens periculum.
132 Mens meliora videt, laudat, ſuadetq; ſequendum,
Sed praua diuerſum Volvntas eligit.
Hac luctâ, hac pugnâ in ſterili ſudamus arenâ,
Genibus labantes, & luxati brachijs.
Te ſine nil animi noſtri, nil pectora poſſunt,
Neruis ſoluta membra torpent omnia.
Ni tua, quæ firment veſtigia, gratia laſſis
Succurrat, & baculo ſuſtentet debiles.
In præceps ruimus, vitiorum pondere preſſi,
Spolium gehennæ, & diro præda Cerbero.
133 Hæc Devs, hæc oculis miſerantibus aſpice, vincat
Pietas rigorem, Iuſtitiam Clementia.
In vetitum quamuis proni, facileſq; moueri,
Malo parentum deprauati ſemine.

Pars quotacunq; tuæ tamen auræ, hac veſcimur aurâ,
Tuiq; pars lecti ſumus peculij
Et patiare tuos, tua ſigna & caſtra ſecutos,
A te, tuiſq; æternum ſepararier?
An Stygias inter poſt fata locabimur vmbras,
Lytro tui ſemel redempti ſanguinis?
An Phlegetontæis erimus ludibria monſtris,
Ad Numinis tui creati imaginem?

DOMI-



DOMINE SALVA NOS perimus. Matthæi c. 18.



Iactetur variè licet impellentibus vndis,
Non poterit Nauis, Petre, perire tua.

R. Sadeler

34 RЕſpice quam fragili Vectores NAVE feramur,
Euro, Notho, Africoq; vnà ruentibus.
Noſtra tibi pariunt altum peccata ſoporem,
Noſtris tuâ in cymbâ culpis ſubmergimur.
O tandem euigiles ad vota preceſq; tuorum,
Ventiq; & vndæ te quieſcant Arbitro.
Anchora tu noſtræ, tu portus & aura carinæ es,
Sine te perimus vento & vndis obruti.
Terq; quaterq; ſtatus noſtri miſerabilis ordo,
Moueat tuæ miſerationis viſcera.
Te duce fac vitijs domitis virtutis amore,
Tuis lubentes obſequamur iuſſibus.
Vt tandem exuuijs poſitis mortalis amictus,
Detur bonis tecum frui cœleſtibus.

INVOCATIO AD OMNES triumphantis militiæ Sanctos.

FOrtunatæ animæ, cœli ſtellantis alumnæ,
Deo ſemel lectæ ante mundi cardines.
Saluete, & lætis æternùm pſallite vocum
Concentibus, ter Optimo, ter Maximo.
Terq; quaterq; Deo Sabaothi pangite laudes,
Nunquam ſilentibus certantes angelis.
Omnia lætificis reſonent impleta Camænis,
Veſtris reſultet cœlum & terra plauſibus.
Debita ſunt FATO vobis hæc gaudia, Chriſti
Merito, fideq; errare & labi neſciâ.
Nam prius omnia erunt cinis, in nihilumq; redibit,
Quidquid ſub orbe Lunæ, & Solis clauditur;
Æquora deficient piſces, & gramina campos,
Fontes prius rigare prata deſinent;
Quam vel iota vnum Verbi omnipotentis inane
Abeat, carens Deo placitis ſucceſſibus.
Ergo perennantes Mentes gaudete beatæ,
Claro Dei fruentes vultus lumine.
Hæc hæc veſtrorum eſt merces condicta laborum,
Seruos fideles hæc manent ſalaria.
Cura fuit vobis hac luce fruentibus vna,
Deo obſequi, iuuare vt vos met proximum.
Quos maleſuada fames, quos dura premebat egeſtas,
Fauces quibus ſitis ſiccabat aridas;
Quos Aquilonares vrebant frigore venti,
Nudos vtrinq; pedum & manuum velamine,
Quos nil demeritos, mala manſio, carcer habebat
Triſtes, ſpei indigos, & mente debiles,

Quos

Quos peregrè è templis post vota soluta reuersos,
Crudelitas tectis arcebat hospitum,
Queîs gelidæ, calidæq; auræ pulmonibus haustæ,
Morbis acutis exurebant viscera;
Liuida quos tabes, quos certæ nuncia mortis
Pestis suo lectis fixit contagio.
Omnibus hisce manus pietatis amore paratas
Præbere mens vobis animusq; gestijt.
Hæc studia, has curas vos sustinuisse probatum est,
Hisce euolastis alis ad cœli atria.
Eia agite & nostræ tangat vos cura salutis,
Qui corpori vestro sumus pars insita.
Vos stet apud memores nostri tutela laboris,
Vestris preces nostræ valeant suffragijs:
Vt mundi ærumnis & vitæ munere functi,
Vobis pares cœli fruamur gratijs.

Oratio Dominica ab Hieronymo Vida sic reddita.

OMnipotens Genitor sedes cui lucidus æther,
Sic nomen laudesq; tuæ celebrentur vbiq;,
Et promissa orbi incipiant procedere lustra,
Cum tua non minus in terris gens iussa facessat
Mortalis, quam cœlicolæ tibi in æthere parent.
Nos diuina hodie cœlo dape reffice ab alto,
Parce dehinc bonus, vt nostris ignoscimus ipsi
Hostibus, ac nullis aduersis obijce inermes
Tentando, prohibe à nobis sed cuncta pericla.

HÆC

HÆC EST MVLIER, QVA contriuit caput ſerpentis.

Geneſ. 2.



Iſta licet vario sint conſita flore roſeta,
Non tamen, hoc viſo FLORE, *roſeta placent.*

SALVTATIO ANGELICA Diuæ Virginis. Philipp. Menz. Aucto:

SAlue hominum duros miſerans Regina labores,
Vitaq; dulcedoq; & ſpes noſtra optima ſalue,
Ad te clamamus ſoboles miſerabilis Euæ
Exul, & afflicto trahimus ſuſpiria corde,
Cum gemitu lachrimas lachrimarum in valle cientes:
Eia oculis ergo placidis ac fronte ſerena
Reſpice, Diua, tuos, faciliſq; tuêre clientes,
Et prolem vnigenam nobis pia mater IESVM
Exilio fractis pacato Numine monſtra,
O Clemens, pia, dulce decus, Maria inclyta Virgo.

MEMORIA NOVISSIMORVM: FRÆNVM PECCATORVM, SACRIS ET profanis ſententijs inculcatum.

1. HOMO BVLLA) Vetus eſt prouerbium, Homo Bulla, ſacris & profanis ſcriptoribus vſurpatum; quo appoſitè monemur, vitâ humanâ nihil eſſe fragilius, nihil fugacius, nihil inanius. Eraſmus in ſuis Chiliadibus recognitis & emendatis, iſtud Adagium, πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος hoc eſt, homo bulla, multis notabilibus ſententijs Philoſophorum & Poëtarum, Græcorum & Latinorum illuſtrat.

Vitæ hominum bullis ſimiles ſunt, quarum aliæ ſimul atque natæ ſunt, protinùs euaneſcunt, aliæ paulo diutiùs durant, omnes breuiſſimis quibuſdam interuallis, aliæ ſuccedunt alijs. Lucianus in Charonte.

Cogito (inquit Varro in præfatione libri de agricult.) eſſe properandum: Quod ſi, vt dicitur, homo eſt bulla, eò magis & ſenex. Annus enim octogeſimus admonet me, vt ſarcinam colligam, antequam proficiſcar è vità.

2. Fo-

2. Folivm.) Homo ſicut folium defluens de vinea & ficu. Eſa. 14.

Οἷα μὲν φύλλων γενεὴ τοίηπε καὶ ἀνθρῶν. Homerus.
Qui nemorum folijs, idem eſt mortalibus ortus.
Quorum hæc ventus humi fundit, rurſum illa vireſcens
Profert ſilua, ſimul veris cum afflauerit aura.

3. Foenvm.) Facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorum, quæ exaruit, antequàm matureſceret. Eſa. c. 37.

Tanquàm fœnum velociter areſcunt, & quemadmodum olera herbarum citò decidunt. Pſal. 36.

Nihil tàm aſſimilatur humanæ gloriæ, quàm fœnum agri: Cernas prata miranda florum varietate diſtincta, vt iucundiſſimum intuentibus ſpectaculum præbeant: Cernas in ijs illam colorum verè gratiam, vt rectè dixerit Dominus, ne Salomonem quidem in omni gloria ſua, ita veſtitum fuiſſe: & tamen tantus decor, quàm exiguo temporis ſpatio deperit? In eundem modum ſe habet hominum gloria. Chryſoſt.

4. Pvnctvm Temporis.) Demetrius Phaleræus repræhendit Euripidem, Poëtam alioqui laudatum, quòd fœlicitatem humanam ἐφήμερον, hoc eſt, per diem vnum durantem vocauit, cum verius στιγμὴν χρόνου, hoc eſt, punctum temporis, dicere debuiſſet. Eraſmus in loco præcitato.

Punctum eſt quod viuimus, & adhuc puncto

minus; Mors nos ſequitur, vita fugit. Senec. Ep. 50.

5. VITA BREVIS.) Vniuſcuiuſque hominis vita quanta eſt? Adde quantoslibet annos, vt longiſſimam ſenectutem: quid ergo? nonné hora matutina eſt? Auguſtin.

Numerus dierum hominum, vt multum, centum anni, quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui. Eccleſiaſtic. c. 18.

Centum, ſi placet, annos demus delicijs, adde & decies centum: quæ erit ex his ad æternitatem comparatio? Nonné omne tempus vitæ huius, quo delicijs frui videmur, & indulgere libidini, quaſi noctis vnius ſomnium, ad æternitatis comparationem? Chryſoſt.

Noſtra, me hercle, vita, licet ſupra mille annos exeat, in arctiſſimum contrahitur: Iſta omnia nullum non ſæculum deuorabit. Seneca de vitæ breuit.

Sunt, teſte Ariſt. lib. 5. animalium, animalcula ex inſectorum genere, quæ apud Hypanim fluuium, qui in Boſphorum influit, mane naſcuntur; meridie ad perfectam ætatem perueniunt: veſperi, tanquam ſummam ætatem nacta, moriuntur, quæ animalcula nominantur. ἐφήμερα, ad diem viuentia.

Hinc eſt, quod Poëtæ, doctiſſimum & antiquiſſi-

quiſſimum ſcriptorum genus, homines ἐφημέρους & ἐπαμέρους paſſim appellarunt.

6. VITA HOMINIS VIA.) Vita noſtra eſt tanquàm diuerſorium viatorum. Hierem. 9.

Via vitæ Increpatio diſciplinæ, mandatum Domini lucerna, & lex lux eſt, Prouerb. 6.

Quot dies vitæ peragimus, tot paſſibus, quaſi in itinere ad locum propoſitum, propinguamus: præſentem vitam quaſi viam ſubigendo tranſimus. Greg. in m oral.

Sancto Dei conſilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur: via quippe eſt præſens vita, quà ad patriam tendimus, & idcirco occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Greg. ibid.

7. VITA ÆTERNA.) Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis deſcenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Paul. 1. Corinth. 2.

Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.
Virg. 6: Æneid.

8. VITA FRAGILIS.) Breuis eſt inprimis vita, & vitæ fugaciſſimum tempus, rerum humanarum inquietum aduerſis flatibus & procelloſum pelagus. Auguſt.

 Quid

Quid est homo? Imbecillum corpus & fragile, nudum suapte natura, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, Seneca ad Marciam. c. 11.

9. VICISSITVDO RERVM.)

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,

Et subito casu, quæ valuêre, ruunt. Ouid.

Natura rerum humanarum nihilo seciùs se habet, quàm amnium fluctus. Nazianz.

Homo fluida est materia, & caduca, & omnibus obnoxia casibus. Seneca Ep. 59.

Fluunt omnia, & in assidua sunt mutatione corpora nostra, fluminum more, quidquid vides, currit cum tempore. Senec. Epis. 16.

10. INSTABILITAS MVNDI.) Nihil est in rebus humanis stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens, omnia veluti rotâ quadam inani voluuntur, diuersis sæpe diebus, singulis etiam horis vicissitudines afferente. Nazianz.

Nihil mutationis periculo exemptum, non terra, non cœlum, non totus hic terrarum contextus, quamuis Deo agente ducatur. Senec. Epist. 71. Lipsius, vir immortali nomine dignus, De constant. lib. 1. c. 16. & seqq. & Physiolog. lib. 2. c. 20.

11. FATVM.) Fati nomen, sicut & prouidentiæ, etiam Deo conuenit. Vis enim (inquit Seneca Natu-

Natural : Quæstio : lib. 2. cap. 45.) Deum Fatum vocare? Non errabis: hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa cusarum. vide inferius nu. 85:

Vis illum prouidentiam dicere? recte dices. Est enim cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Senec. ibidem.

Nihil publicè, nihil priuatim stabile est, tàm hominum, quàm vrbium fata voluuntur. Senec. Epist. 92.

12. TRISTITIA MVNDI.) Rari & vix accessibiles portus in mari: scopuli innumerabiles, inter quos difficilis, & prorsus ambigua est nauigatio. Petrarcha.

13. VITA HOMINIS LABOR ET DOLOR.) Quid inter laborem & dolorem intersit, Cicero. 2. Tuscul: Quæst: fusè tractat & explicat. Labor propriè est corporis, Dolor animi cruciatus: Labor tamen sæpe ad vtrunque refertur, & definitur, functio quædam vel animi vel corporis, grauioris operis & muneris: dolor autem motus asper in corpore à sensibus alienus.

Vita hominis nihil aliud est, quàm labor & anxia cura. Eccles. c. 28.

Ecce tribulatio & tenebræ, & dissolutio, & angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua. Esa. 8.

Cuncti dies hominis laboribus & angustijs pleni sunt, nec per noctem mente quiescit. Eccles. c. 1.

Quid fiat? tu occuparis, vita festinat: Mors interim aderit, cui velis nolis, vacandum est. Seneca.

Quomodo fabula, sic vita hominis, non quàm diu, sed quàm bene acta sit, videndum. Seneca Ep. 77. in fine.

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus,
Et labor & duræ rapit inclementia mortis. Virgilius.

Nuncij & ministri mortis admodum sunt multi, puta febres, tùm frigidæ tum calidæ, tabes, inflammatio pulmonis, gladij, latrocinia, cicutæ, Iudices quoq; & tyranni. Lucianus in Charonte.

14. CIRCVLVS MALORVM.) Est rerum humanarum velut circulus, siue periodus & vicissitudo, quæ sua permutatione non permittit eosdem semper agere fortunatè. Herodotus refert tale quid Crœsum respondisse Cyro, bellum Scythis sine iusta causa inferre volenti, quod euentus rerum probauit, occiso Cyro à Thomire, Scytharum Regina, referente Herodoto libro. 1. & post illum Luciano in Charonte.

Nulli fortuna tàm dedita est, vt multa tentanti vbique respondeat. Sen. de ira.

Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαίμων.
Nemo vndequaq; agit prosperè. Menander.

Spectant huc prouerbia: Nihil ex omni parte beatum: Nemo mortalium omnibus horis sapit, de quib. Erasm. in suis Chiliad.

15. VOLVPTAS.) Momentaneum est, quod delectat, æternum quod dolet. Bernard.

Vincula huius mundi asperitatem habent veram: iucunditatem falsam: certum dolorem: incertam voluptatem: diuturnum laborem: timidam quietem: rem plenam miseriæ: speciem beatitudinis inanem. Augustin.

Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem & perlusoriam habent voluptatem, & quodcunque aduentitium est gaudium, fundamento caret, Seneca.

Dimitte voluptates turbidas, magno luendas, non futuræ tantùm, sed etiam præteritæ nocent, Senec. epist 77.

Φεῦγε ἡδονὴν, τίκτει γὰρ λύπην.
Fuge voluptatem, quippe quæ dolorem parit. Chilo.

Voluptates præcipuè exturba, & inuisissimas habe, latronum more, quos Ægyptij Philetas vocant, qui in hoc nos amplectuntur, vt strangulent. Sen. ep. 51. vbi Lipsius Philetas apud Ægyptios eos dici & haberi docet, quos Græci κλέπτας, λῃστὰς, hoc est fures, latrones dixerunt, qui

per vrbes noctibus ibant, expilatum diuites, vnde pilare, compilare, expilare, quidam Græcæ originis fuisse putant. Lips. ad d. Ep. 51. Senecæ.

Possent nostri Zingani (die Zigeiner) qui & ipsi se Ægyptiæ originis esse iactitant, istis Philetis æquipararari.

16. HODIE, CRAS.) Nemo in crastino sui certior est. Sen. ep. 92.

Nemo diuos tàm habuit fauentes, vt crastinum sibi posset polliceri. Sen.

Quis scit an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dij superi? Horat.

Subito, dùm speratur, venit contritio eius, & comminuitur, sicut lagena figuli, contritione valida, & non inuenitur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Esa. c. 37.

Stat super caput fatum, & pereuntis dies imputat, propiusque & propius accedit. Sen.

Omnem luxuriosi noctem inter falsa gaudia, & quidem tanquam supremam agunt. Sen. Ep. 59.

17. VIA PECCATORVM.) Venite (loquuntur impij Sap. c. 2. & Luc. c. 12.) & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatis, tanquàm in Iuuentute celeriter: Vino precioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus,

& ne-

&c nemo habebit memoriam operum noſtrorum, vmbræ tranſitus eſt tempus noſtrum.

Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò amplius. Eſa. c. 16.

18. STVLTITIA MVNDI.) Tenent tympanum & Cytharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt ad inferos. Iob. c. 21.

Videbunt Iuſti, & ſuper iniuſtum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, & ſperauit in diuitijs, præualuit in vanitate ſua. Pſal. 51.

Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem paraſti, cuius erunt? Luc. 12.

Lachrymarum cauſas quidam tripudiantes peragunt, & mortis ſuæ negotium ridentes exequuntur. Greg. in Moral.

O ſtulti, quid tanto ſtudio in his rebus molimini? Deſiſtite à laboribus, neque enim perpetui viuetis: nihil ex his, quæ hic præclara habentur, perpetuum eſt, nec iſtorum aliquid cum moriendum eſt, ſecum quiſquam auferet. Lucian in Charont.

19. MORS OMNIVM RERVM FINIS.) Epicuri ſchola fuit, Nihil eſſe poſt mortem, Tertullianus refert. de reſurrectione carnis lib. 1. c. 1.

vbi etiam Seneca allegatur, qui dixerit alibi, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Dicæarchus primus, post hunc Democritus, istum secutus Epicurus, hunc Lucretius, mortalitatem animarum asseruerunt, teste Lactantio lib. 7. diuina: Inst. c. 7. Et Saducæi tenuerunt, non esse resurrectionem, neque angelos, neque spiritum. Actorum c. 23.

20. MORTE CARENT ANIMÆ.) Quamuis variæ fuerint veterum philosophorum opiniones de Anima, quid illa sit, quas opiniones Macrobius in somnio Scip. lib. 1. c. 14. refert: obtinuit tamen (verba sunt Macrobij) non minus de incorporalitate, quam de immortalitate sententia.

Animam definimus (verba sunt Tertulliani in libro. de anima c. 22.) Dei flatu natam, immortalem, effigiatam (intellige ad imaginem & similitudinem Dei factam) liberam arbitrij &c. ex vna redundantem. Quæ verba vltima, quatenus de anima hominis per traducem propagata intelligantur à Tertulliano, & alijs, valde controuersa sunt, per ea, quæ Iacobus Pamelius Theologus Louaniensis ad III. Paradoxum Tertulliani annotauit, tenens cum communi Theologorum schola, Deum nouas quotidie animas corporibus iam conceptis infundere.

Videatur Lipsius physiologiæ lib. 3. c. 10. Figurato corpore (ait Hieronymus ibi allegatus) statim

tim ānima creatur & immittitur. Et Lactantius ibidem citatus, Serendarum (inquit) animarum ratio, vni & ſoli Deo ſubiacet.

21. HOMO PVLVIS.) Formauit hominem Deus ex limo terræ, & inſpirauit in faciem eius, & factus eſt homo in animam viuentem, puluis & in puluerem reuerſurus. Geneſ. c. 2. & 3. Corpuſculum hoc cuſtodia & vinculum eſt animi, huc atque illuc iactatur: animus ſacer eſt & æternus: Dijs cognatus, & omni mundo, æuoque par. Sen. ad Helui: c. 11. Vide Lipſium Phiſiolog. lib. 3. c. 2.

22. TEMPVS SVPREMI IVDICII.) Annis poſt exordium Mundi ſexies mille completis, ſummum illum concluſionis extremæ diem, lapſumque & ruinam rerum omnium fore, ex litteris ſanctis & ex varijs hiſtorijs colligi poſſe, Lactantius Firmianus ſub Conſtantino Magno circa Annum Domini 320. ſcriptum reliquit lib. 7. c. 14. & 25. Quod tamen lapſa ſeu deleta demum, nō incolumi Roma futurum ſit. Sed vana, ſeu non probata eſt hæc opinio Lactantij, quam etiam Petrus Meſſias Hiſpanus, & alij quidam recentiores amplexi, tenuerunt, mundum bis mille ante legem, bis mille ſub lege, & bis mille poſt legem duraturum eſſe. Hanc Lactantij, Originis, Irenæi & aliorum opinionem refutat, & temeritatis arguit Ioſe:

Iosephus Acosta in tractatu suo de nouissimis temporibus lib. 1. c. 3. Christus enim Dominus noster sciscitantibus discipulis suis hoc tempus, respondit, Non est vestrum nosse tempora, & momenta temporum, quæ pater posuit in potestate sua. Act. c. 1.

23. MORS VELOX ET INOPINA.) Dies mei velociores fuerunt, quàm à textore tela succiditur. Iob. c. 7.

Textor filum subtegminis à telæ margine ad marginem incredibili velocitate, miraque dexteritate coniectum in sinistram, momento reijcit in dexteram: Talis itio & reditio fili textorij, similima est vitæ humanæ, vicissitudine dierum & noctium, bonorum & malorum, quibus in hac vita subiecti sumus, considerata. Pineda ad d. c. 7. Iobi.

Dum respicimus (quod aiunt) versamusque nos, immortalitas aderit. Seneca.

24. MORS ET DIES SVPREMVS.) Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet, ad Thesal. 1. c. 5.

Si sciret Pater familias, quà horà fur venturus sit, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Matth. c. 24.

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Matth. c. 25.

O mors, quam amara est memoria tua homini, habenti pacem in substantia sua. Eccl, c. 41. O

O Mors triste malum, miseris mortalibus, ô mors
Quantum fellis habes? quantis mœroribus angit
Mentio sola tui, florentem rebus opimis,
Florentemq; ætate virum, & bene corpore sanum.

Menzelius.

25. FINIS HOMINIS INCERTISSI:) Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum extemplo superuenit. Eccles. c. 41.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi Psal. 38.

26. VANITAS AVGVRVM.) De vanitate Astrologorum seu augurum Iudiciariorum, (naturales enim, & ex causis naturalibus coniecturantes, non omnino reijciuntur) qui euenta futura de casibus humanis, veluti de vita & morte hominis præsagia iactitant, operà dignum est, videre & sequi R.dum P. Lessum Theologum Louaniensem c. 45 lib. 2, De superstitione, vbi facta talia tam consulentium quam consultorum, inter peccata mortifera numerat.

27. MORS OMNIBVS STATVTA.) Statutum est omnibus hominibus mori. Hebr. 9.

Quis est homo, & non videbit mortem?

Omnia tempus habent, tempus est viuendi, & tempus moriendi. Eccles. c. 3. Quid

Quid ſles? quid optas? perdis operam.

Deſine fata Deum flecti ſperare precando,

Eo ibis, quo omnes ibunt, nullum ſine exitu iter. Videatur Senecæ ep. 77. quæ inſignis eſt, & digna, quæ ab omnibus mortalibus ſæpius legatur.

Ad mortem omnis iſta, quæ in foro litigat, in theatris deſidet, in templis precatur turba, diſpari gradu vadit. Senec. in conſol. ad Helu. c. 1.

Si quis opes poſſidens forma præcellat cæteris, & in certaminibus fortiter ſe gerens, oſtendat robur, meminerit, quod membra circumfert mortalia, quod finem omnium bonorum aditurus eſt. Pindarus allegatus ab Eraſmo in Adagio Homo Bulla.

Scito fato conſtitutum eſſe omnibus mori.

28. Croesvs et Irvs mortvi.) Anaxagoras & Socrates, cum mortis ſententiam per nuncios accepiſſent; Iam olim (reſponderunt) iſtam ſententiam æquè in Iudices, atque in nos, tulit natura.

Argentum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Eccleſ. 3.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq́ turres. Horat.
Æqua tellus

Pauperi

Pauperi recluditur,
Regumq́ pueris. Horat.

Moritur ſutor, eodem modo & Rex. Menand.

In hoc natus eſt homo, vt vita defungatur. Sen. Ep. 12.

Mors per omnia it: qui occîdit, ſequitur occiſum. Idem ep. 93.

Incertum eſt, quo te loco (& tempore) mors expectet: Itaq́ue tu illam omni loco expecta. Sen. ep. 12.

Vndecunq́ue ad inferos vna via eſt, nulli aliena Patria mortuo. Seneca.

29. LEX NATVRÆ.)

Stat ſua cuiq́ dies, breue & irreuocabile tempus
Omnibus eſt vitæ. Virg.

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur vrna: ſeriùs ocyùs
Sors exitura. Horat.

30. MORS OMNIBVS ÆQVA.) Vnus eſt omnibus introitus ad vitam, & ſimilis exitus. Sap. 7.

Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. 2. Reg. c. 4.

Prima æquitatis pars eſt Æqualitas: Quis queri poteſt, ſe in ea eſſe conditione (puta mortis obeundæ) in qua nemo non eſt? Sene. Ep. 30.

Nemo tàm imperitus eſt, vt neſciat ſibi quandoq́ue moriendum eſſe: tamen cum mors prope

prope accesserit, tergiuersatur. tremit, plorat. Sen. Ep. 27.

Charontis vnda scilicet omnibus,
Quicunq; terræ munere vescimur,
Enauiganda, siue Reges,
Siue inopes erimus coloni. Horat.

31. HOMO CINIS.) Extinctus cinis erit corpus nostrum. Sap. 2.

Et quæ veneraris, & quæ despicis, vnus exæquabit cinis, Sene. in consol. ad Mar.

32. PAVCITAS SALVANDORVM.) Filioli, (dicebat Christus ad discipulos suos Mar. 10.) quàm difficile est diuiti, & habenti possessiones intrare in regnum cœlorum: difficilius quàm camelum transire per foramen acus.

Angustus admodum trames est, per quem Iusticia hominem deducit ad cœlum: hunc (tramitem) tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus & nudus: via mortis latissima est, Lactantius lib. 7. inst. diuin.

Pauci læta arua tenemus, respondit Anchises filio suo Æneæ, apud Virg. lib. 6. Æneid.

De hac paucitate saluandorum videatur Zodiacus Christianus Anno 1618. Monachij editus, in coronide, post duodecimum signum prædestinationis electorum, & scriptorum in libros vitæ, de quibus in Apocal. Iohannis. Vide inferius nu: 73.

Alphon-

Alphonſus Arragoniæ Rex, interrogatus, quæ res omnes homines æquet, Reſpondit. Cinis.
Σῶμα γὰρ ἐκ γαίας ἔχομεν καὶ πάντες ἐπ᾽ αὐτὴν
Λυόμενοι κόνις ἐσμέν. Hoc eſt.

Corpus enim ex terra habemus, & omnes ad ipſam ſoluti puluis vel cinis ſumus.
Πάντες ἴσοι νεκροὶ: Ψυχῶν δὲ θεὸς βασιλεύει. hoc eſt.

Omnes æquales mortui, animis verò Deus dominatur. Phocilid.

33. OPVM APPETENTIA.

Quid vici proſunt? quiduè horrea? quidue Calabris
Saltibus adiecti Lucani, ſi metit Orcus?
Grandia cum paruis non exorabilis auro?
Ergo hominum genus incaſſum, fruſtraq́ laborat
Semper, & in curis conſumit inanibus æuum,
Nimirum quia non cognouit, quæ ſit habendi
Finis, & omnino quo adcreſcat vera voluptas.
Lucanus.

34. HONORES AVLICI PERICVLOSI.) Mæcenas, quem conſtat apud Auguſtum Cæſarem omnia potuiſſe, dicere ſolebat, Ipſam altitudinem in Aulis attonare, hoc eſt, vt Lipſius ad Senecæ Epiſtolam. 19. interpretatur; percutere, & quaſi tonitru quatere, quam Epiſtolam legant, qui primos honores in aulis affectant, & cum alia multa vetera & recentia exempla, tum verò illud Seiani ſemper ante oculos habeant, qui ſub

Tiberio vno quasi momento, vità & omnibus honoribus exutus, turpissimo mortis genere cum filia & omnibus suis vitæ finem fecit, de quo Tacitus lib. 5. Annalium, & Cardinalis Baronius in Annalibus suis in fine Anni Christi. 33. n. 48.

Bene igitur Poëtarum prudentissimus Horatius.

Beatus ille qui procul negotijs,
Forumq́; vitat, & superba Ciuium
Potentiorum limina.

Viue tibi, quantumq́; potes, prælustria vita,
Sæuum prælustri fulmen ab axe venit. Ouid.

Plura & notatu digna vide apud Lipsium in ipsius defensionis posthumæ c. 1.

35. LVXVRIA.) Noli auidiùs esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam. Eccles. c. 37.

Inter plures caussas longæuitatis Patrum antiquorum prioris mundi, non vltimam, sed facile Principem fuisse Abstinentiam à carne & varietate ac pluralitate ciborum & potionum, refert Augustinus Torniellus in Annalib. suis sub anno mundi. 1656. fol. 94. n. 7.

Qui continet se intra naturalem modum, paupertatem non sentiet: qui naturalem modum excedit

dit, eum in summis opibus paupertas sequetur. Senec. in Consol. ad Heluiam.

36. GVLA ET LVXVS.) Sepulchrum patens est guttur eorum. Psal. 5.

Copia ciborum subtilitas intellectus impeditur. Senec. ep. 15.

Ad maiora me natum existimo, quàm vt ventri mancipium fiam. Senec, Ep. 65.

Ventri obedientes non hominum, sed animalium loco numerantur. Idem. Ep. 59.

Abstine à cibis, aquam pota aliquando, omnium appetitum cohibe, vt mox etiam recte, & rationabiliter possis appetere, Epictet. & Sen. ep. 18.

Infœlices luxoriosi, qui non intelligunt se maiorem famem, quam ventrem habere. Sen. ep. 89. sub finem.

Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet? Senec. ep. 95.

37. LVCTVS EXTREMVM GAVDIORVM.) Extrema gaudij luctus occupat, prou. c. 14.

Ita Dijs placitum, voluptati, vt mœror comes consequatur. Plaut.

Citò nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & transit, & pœne antequàm veniat, aufertur. Sen. de vita beata.

Bellum in media pace consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt. Sen. ep. 92.

Inter placidiſſima terror exiſtit, Sen. ep. 92.

In ipſis voluptatibus cauſæ doloris exoriuntur. Sen. ep. 91.

Voluptas tunc, cum maximè delectat, extinguitur. Sen. de vita beata.

38. VITA VAPOR ET FVMVS.) Quid eſt vita noſtra? vapor ad modicum durans. Iacob. 4.

Spiritus hominis diffundetur, tanquàm mollis aër, & tranſibit vita noſtra, tanquàm veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs ſolis. Sap. 2.

Soluimur vt nebulæ, ſurgens vt in aëra fumus,
Et veluti ſolui ſole pruina ſolet.
Rumpimur vt ſtipulæ rapido carpuntur ab igne,
Nil niſi viuendo puluis & vmbra ſumus.
Vnde igitur faſtus venit? vnde ſuperbia nobis?
Quos fatum poſt tot triſtia triſte rapit?

39. HOMO STVPA ET FAVILLA.) Aſſimilatus ſum fauillæ. Iob. 30.

Quomodo ſi quis rumpit filum de ſtupa tortum ſputamine, cum odorem ignis acceperit, ſic vita eſt hominis. Iob. 15:

Sicut fauilla, quam turbo diſpergit. Iob. 22.

Erit fortitudo veſtra, vt fauilla ſtupæ. Iſa. 5.

40. VITA HOMINIS VENTVS.) Memento quia ventus eſt vita mea, & non reuertetur oculus meus vt videat bona. Iob. 7.

Recor-

Recordatus eſt, quia caro ſunt, ventus vadens & non rediens. Pſal. 77.

Homo ventus eſt, & nil aliud quam vmbra. Sophoc.

41. HOMO INSTAR ARANEÆ.) Sicut telæ aranearum, fiducia eius Iob. 8.

Tabeſcere fecit ſicut araneam animam meam. Pſal. 38.

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. Pſal. 89.

42. HOMO PVLVIS ET VMBRA.) Puluis es, & in puluerem reuerteris. Gen. 3.

Dies hominis ſicut puluis prætereunt. Pſal. 145.

Vmbræ tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri. Sap. 12.

Quò pius Æneas, quo Tullus diues & Ancus,
Puluis & vmbra ſumus. Horat.

43. SOMNIVM EST VITA NOSTRA.) Velut ſomnium auolans, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Pſal. 75.

Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: ſic etiam qui ſomnians bibit. Eſa. 29.

Nihil inanîus vmbra: videtur enim eſſe aliquid, cum nihil ſit: At hoc quoq; reperit inanius quid Pindarus, nimirum vmbræ ſomnium, vt nemo poſſit dicere, hic eſt aliquis, neque rurſus, hic eſt nullus, ob ſubitam rerum humanarum immutationem. Eraſm. in d. prouerb. Homo bulla.

Philo Hebræus. Quid est homo? phantasma temporis.

44. CVRÆ HOMINVM INANES.) Peccatori dedit Deus afflictionem & curam Eccles. 2.

Vita nostra sicut nebula dissoluitur, quæ fugata est à radijs solis, & calore eius aggrauata. Sap. 22.

Quisq; suos patimur manes, sua quemq; remordet
Cura. Virgil.

Scandit æratas vitiosa naues
Cura, nec turbas equitum relinquit,
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro. Horat.

45. SPES HOMINVM FALLAX.) O fallacem homium spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spacio franguntur, sæpè & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt. Cicero.

Quotquot viuimus, & quam diu viuimus, omnes diuersa præsentibus, & contraria expectatis, aut speramus, aut metuimus, assiduò natantes inter spei, metusque fluctus. Vellei: Paterc.

46. CALAMITAS RVRALIS.) Quidquid longa series, multis laboribus, multa Dei indulgentia struxit, vel vnus dies spargit & dissipat. Sen. ep. 92

47. HOMO NIHIL.) Nihil sunt dies mei. Iob. 7.

Substantia mea tanquàm nihil ante te, Psal. 38.

Omnes

Omnes gentes quaſi non ſunt coram te, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt. Eſa. 40.

Ex nihilo facti ſumus, & poſt hac erimus, quaſi non fuerimus. Sap. 2.

Qui ſe putat aliquid eſſe, cum nihil ſit. Paul. ad Galat. 6.

48 MVNDVS ET OMNIA VANITAS.) Vniuerſa vanitas omnis homo viuens, vané conturbatur omnis homo, Tota igitur ſubſtantia apud Deum eſt. Pſal. 38.

Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Pſal 90.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Eccl. c. 2. 3.

49. OPVM CVPIDITAS.) Tu dies noctesq: cruciaris, cui non ſat eſt, quod eſt, & ipſum quod habes, ne diuturnum ſit futurum, times; neque enim vnquàm expletur aut ſatiatur cupiditatis ſitis, neque ſolùm ea, quæ habes, libidine augendi cruciaris, ſed amittendi metu. Cicero.

Cupiditati nihil ſatis eſt, naturæ parum. Hæc enim homini nihil, quod neceſſarium faciebat, fecit operoſum. Sen. ad Heluiam.

Præter opum deſiderium, omnium rerum eſt ſatietas.

Κακῶν μέγιστον ἐν βροτοῖς ἀπληστία

Maximum malorum hominibus, inexplebilis cupiditas, Menander.

Hi ſunt, quos Horatius inter magnas opes inopes appellauit, de quibus Eraſ. in Adag. Tantali pœna.

50. VERA PAVPERTAS.) qui non quæſita, ſed acquirenda computat, pauper eſt, quippe cui parum eſt, quod habet, ſed plus cupit. Sen. ep. 27.

Multis ad philoſophandum obſtitêre diuitiæ: paupertas expedita eſt, ſecura eſt. Sen. ep. 17.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames. Horat.

Non qui parum habet, ſed quid plura cupit, pauper eſt. Quid refert, quantum in arca, quantum in horreis lateat? quantum paſcat, aut fœneretur, ſi alieno imminet? ſi non acquiſita, ſed acquirenda concupiſcit. Sen. ep: 2.

51. VERÆ DIVITIÆ.) Habentes alimenta, & quibus tegamur, contenti ſumus. 1. Timoth. 6.

Sint mores ſine auaritia. contenti præſentibus. Ipſe enim dixit, non te derelinquam, neque deſeram. Paul. ad Hebr. c. 13.

Ἀρκεῖσθαι παροῦσι, καὶ ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι.

Contentus ſis præſentibus, & alienis abſtinens.

Cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi ſit dominus, miſer eſt, Sen. ep. 9.

Non eſt beatus, qui ſe non putat eſſe: Cui

cum

cum paupertate bene conuenit, diues eſt, Sen. ep. 1.

Modus diuitiarum primus eſt, habere quod neceſſe eſt: proximus quod ſat eſt: Animus enim eſt, qui diuites facit.

Cui ſatis eſt, quod contingit, nihil amplius optet.
Horat.

Proprium hoc eſt Beati, præſentibus, qualiacunque ſint, contentum eſſe, ſuis gaudere, nec maiora domeſticis cupere. Sen. de vita beata. c. 6. Lipſ. Manuduct: lib. 3. diſſert. 5.

52. DIVITIÆ, FALSÆ ET PERICVLOSÆ.) Quid prodeſt homini, ſi vel totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Marc. 16.

Qui volunt diteſcere, incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas & noxias, quæ demergunt homines in exitium, & interitum: radix ſiquidem omnium malorum eſt, ſtudium pecuniæ. 1. Timoth. 6.

Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias multas peccatoris. Pſal: 36.

Multis diuitias parâſſe, non finis miſeriarum eſt, ſed mutatio. Sen ep. 17.

Vt diteſcas, ne feſtines, ne citò pauper fias. Nemo diues citò euaſit, ſi iuſtus fuerit. Menander.

Interea pleno cum turget ſacculus ære,

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,
Et minùs hanc optat, qui non habet. Iuuenal.

Cupiditati cæcæ tria adiuncta sunt, vel perpetua comitantur vitia. ἀσχημοσύνη: ἀμετρία: ἀκαιρία, hoc est. Indecorum, immodicum, intempestiuum. Lips. ad. ep. Sen. 16.

Licet preciosa quæque (puta aurum, argentum, omnium nationum lapides preciosi, familia numerosa mulæ & equi sagini, omnes vnius coloris) congerantur, nunquàm explebunt animum inexplebilem. Sen. in consol. ad Helui. c. 11.

Multa petentibus
Desunt multa: bene est cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu. Horat.

53. EXEMPLA MOVENT.) Longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla: Homines minùs sensu & auribus, quam oculis credimus. Sen. ep. 7.

Segnius irritant animos, demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus. Horat.

54. AVRI ET HONORVM FAMES.) Quoscunque in medium fortuna protulit, quicunque membra & partes alienæ potentiæ fuerunt, horum gratia viguit, domus frequentata est, dum ipsi steterunt, post ipsos citò memoria defecit. Sen. ep. 21.

Abstrahunt à recto diuitiæ, honores, potentiæ, & cætera, quæ opinione nostra cara sunt, precio vilia. Sen. ep. 81.

Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quam longissimè profugiamus. Sen. ep. 52.

55. MALIGNITAS MVNDI.) Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & Superbia vitæ. 1. Io. 2.

Omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum. Esa. c. 56.

56. SENECTVS NON CONTEMNENDA.) Inter alias impiorum voces, quæ à sapiente ca. 2. numerantur, est etiam illa: non reuereamur canos multi temporis:

Ex paruis Hierichontis pueris, qui egressi ciuitatem illudebant prophetæ Helisæo seni, montem ægrè ascendenti, acclamantibus: Ascende calue, Ascende calue, vrsi duo ex vicino saltu erumpentes, quadraginta & duos pueros laniauerunt. 4. Regum. c. 2.

57. LVXVS EVROPÆVS.) Vini vsum præ alijs Europæ gentibus Germanis antiquis, maximè ijs, qui paulo longiùs à ripa, hoc est, Rheno degebant, rariorem fuisse, videre est apud Tacitum: Importato vino, sicut etiam peregrinis mensis & ferculis, Germanis interdictum fuisse, testatũ reliquit Cæsar in suis commentarijs lib. 4. & 6. Quantũ hodie à prædicto vsu non solũ potandi, sed & vestiendi recessum sit, dum ab vltimis terrarum partibus,

quibus

quibus ſol & oritur, & occidit, omnis generis illecebræ, tàm in veſtibus, quàm in conuiuiorum apparatibus importentur, perniciosà & notorià experientià conſtat, & ad dedecus nobiliſſimæ nationis reſtat.

Conuiuiorum & veſtium Luxuria ægræ ciuitatis indicia ſunt. Sen. Ep. 114.

Id quod vnum toto agimus animo, nondum perfecimus, vt peſſimi eſſemus: adhuc in proceſſu vitia ſunt. Sen. de natural. quæſt. lib. 7. c. 31. vbi de deprauata luxuriæ, impudicitiæ, leuitatis & corporum politurà, cæterorumque vitiorum conſuetudine, quæ tum temporis Romæ vigebant, illa depingit, quæ in hodiernos Europæ mores optimè quadrant, & malorum impendentium præſagia eſſe videntur.

58. GERMANORVM VETERVM CVLTVS.) De veterum Germanorum cultu & veſtiendi conſuetudine, ita Cæſar in Comment: belli Gall. lib. 6. pellibus (inquit) aut paruis rhenonum tegumentis vtuntur, magna corporis parte nuda.

Tacitus de moribus Germanorum: Gerunt (inquit) & ferarum pelles, proximi ripæ (hoc eſt Rheno) negligenter, vlteriores exquiſitiùs, vt quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, detracta velamina ſpargunt maculis, & pellibus bellua-

rum,

rum. Sarmatæ fluentibus, Germani ſingula membra exprimentibus veſtibus vtebantur.

59. SVPERBIA MVNDI.) Cum aliquando in publico Græcorum conuentu Seni cuidam honorato ad ſynedrion paulo tardius venienti Lacedemonij aſſurgerent, Athenienſibus ſuo ſe loco nihil mouentibus, natum eſt prouerbium, Athenienſes docere quid honeſtum, & quid ſit faciendum, Lacedæmonios facere & ſeruare:

60. IVDICIVM PARTICVLARE.) Vita defunctos ſtatim & RECTA, hoc eſt, in continenti; adeoque in ipſo deceſſus ſui momento, ſententiam ſuam, vel damnationis, vel ſaluationis auſferre, exemplo diuitis epulonis, & pauperis Lazari, item Latronis cum Chriſto crucifixi, docemur.

Quod Dionyſius Carthuſianus in illo libello, ſeu colloquio cum Fratre, de particulari Iudicio animarum deducit & indubitatum facit.

Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas. Eccleſiaſt. cap 11.

Quid egeris, tunc videbis, quando animam ages. Sen. Ep. 26.

Reiecta igitur, & dudum confutata eſt illorum opinio, qui piorum hominum ſpiritus, qui corpore ſoluti, nulla purgatione egent, non rectà & ſtatim ad fruendam beatitudinem, quæ in clara Dei viſio-

visione sita est; admitti, sed vsque ad vltimum Iudicij diem, in quibusdam abditis receptaculis, vbi nec Deum videant, nec beati dici possint, seruari asseruerunt. Quem errorem refutatum videre licet, apud Cardinalem Bellarminum in septimæ partis controuersia generali, quæ est, de sanctis lib. 1. c. 1. Et Genebrardum Theologum Parisiensem in sua Chronologia ad annum mundi. 1327.

61. IRA DEI.) Qui sine ira Deum esse credunt, dissoluunt omnem Religionem, sine qua aut immanitate belluis, aut stultitia pecudibus adæquantur, Lactantius de ira Dei. c. 22. in quo toto libro, Deum malis irasci, & ergà bonos gratia commoueri, luculenter declarat.

Scitote esse Iudicium. Iob. c. 19. in fin. Errare noli: est apud inferos Iudicium, quod faciet Deus omnium Dominus, cuius nomen admirabile. Philæmon.

62. FACTA VERBIS RESPONDEANT.) Non est Philosophia vulgare artificium, nec ostensioni paratum, non in verbis, sed in factis est: Ante omnia enim videndum est, an philosophià in vita profeceris. Sen. epist 16.

Verba rebus probanda. Maximum hoc est officium Sapientiæ, & Iudicium, vt verbis opera concordent. Sen. ep. 20.

Turpissimum est, quod nobis obijci solet verba Philo-

Philoſophiæ, non opera nos tractare. Idem. ep. 24.

Mendacium incongruum eſt, & ineptum, non in opere, ſed in labijs habere bonitatem. Lactantius.

63. INSIPIENS.) Dixit in corde ſuo non eſt Deus. pſal. 13.

Propter quod irritauit impius Deum? Dixit in corde ſuo, non requiret. Pſal. 8.

Dixerunt impij: Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo? Pſal: 72.

Saduceorum ſecta tenebat, non eſſe reſurrectionem, neq; angelum, neque ſpiritum. Act. c. 25.

Apud antiquiſſimos philoſophos, qui ante Socratem floruerunt, nulla fuit dubitatio, quin ſit Deus, cuius prouidentia omnia regantur. Primus extitit tempore Socratis Prothagoras, qui auſus fuit dicere, ſibi non liquere, vtrùm eſſet aliqua Diuinitas, nec ne. Quæ diſputatio eius adeo impia, & contra veritatẽ, & Religionem iudicata eſt, vt & ipſum Athenienſes expulerint ſuis finibus, & libros eius in concione, quibus hæc continebantur, exuſſerint.

Multis poſt annis ibidem (Athenis) extitit quidã Diagoras, qui nullũ omninò Deum diceret, ob quã ſententiã nominatus eſt ἄθεος Lact. de ira Dei. c. 9.

Et Ariſtoteles, Impietatis poſtulatus, vt de Dijs malè ſentiens, in Chalcidem Eubeæ oppidum profectus mortifero epoto veneno, perijſſe traditur. Vide P, Andreã Scotũ, de comparata vita Areſtotelis, & Demo-

Demosthenis, Olymp. 114. Anno 3. quo ambo hæc Græciæ lumina extincta fuerunt, relictà post se immortali nominum suorum memorià.

Veteres Philosophi veritatis sacrarum literarum ignari, de pœnis Infernalibus fabulosa persuasione crediderunt, vel saltem vtilitatis gratia (vt nimirum homines metu pœnarum in officio continerentur) Vulgo inculcârunt, scriptisq; suis signatum reliquerunt, per fluuium Lethæum, errorem animæ, obliuiscentis maiestatem creationis suæ, Vitæque beatæ: per Phlegetontem, ardores irarum, & cupiditatum: per Achærontem, dictorum factorumque in hac vita pœnitentiam, quæ plerunque actiones imprudenter institutas sequitur: per Cocytum, quidquid hominem in luctum, lachrymasque compellit: per stygem, gurgitem odiorum, quæ homines inter se exercent, intelligendum esse. Vide Macrob. in somnium Scipionis. lib. 1. c. 10.

Ex Epicuri schola est, pœnas infernales non esse vllas: à Poëtis tantum vtilitatis gratia iuuentum esse, quod Lactantius lib. 7. c. 7. & alijs in locis confutat.

64. FATVM, vel, CASVS.) Nota est antiquorum Philosophorum altercatio, vtrum fato, an casu, an Dei prouidentia Mundus regatur: Stoici fato, Epicuræi Casu, Socratici & Platonici Deo dispo-

ſponente omnia fieri aſſerebant: Deo libenter parendum, fortunæ contumaciter reſiſtendũ, Deum ſequendum, Caſum ferendum eſſe. Videatur Seneca Epiſt. 16. & ibi Lipſius, & in Phiſiologiæ ſuæ lib. 1. c. 10. cum aliquot ſequentibus.

Arrianus ad Epictetum lib. 1. c. 12. ſic habet: de Dijs, ſunt (puta impij & inſipientes) qui negant vllum Numen: Sunt qui eſſe concedant, ſed ignauum, incurium, & nulli rei prouidere: Sunt tertij, qui & eſſe, & prouidere admittunt, ſed non niſi magnis & cœleſtibus, terrenorum autem nulli: Quarti & cœleſtibus, & terreſtribus, ſed vniuerſis duntaxat, non autem ſingulis & vnicuique ſeorſim: At quinti, inter quos Vlyſſes & Socrates (intellige Homerum, Socratem & Platonem) aſſerunt, ſtatuuntque ſe clàm Deo nihil ne mouere quidem poſſe. Plura in hanc ſententiam qui volet, videat Lipſij allegata. lib. 1. Phiſiologiæ.

65. DE DEO.) Qui Deum eſſe, eumque omnia ſapientiſſime regere & curare, auſi fuerunt negare, illos non modo non fuiſſe philoſophos, ſed ne homines quidem, Lactant. lib. 7. capi 9. grauiter diſputat, eosque confutat. Sanè ſi Lactantius in confirmandis noſtris tam paratus fuiſſet, atque in deſtruendis alienis, vix ſuo æuo circa annum Domini 320. ſub Conſtantino Magno ſibi parem habuiſſet, teſte Hieronymo, de Scriptoribus Eccleſiaſticis & epiſt. 13. & 124.

Deum vnum, bonum, præscium futuri, & potentem esse mali auertendi, & boni conferendi, hominemque ἀυτεξόυσιον, hoc est liberum sui arbitrij, suæque potestatis à Deo institutum & formatum, ac proinde hominem ipsum non Deum, perditionis suæ caussam esse, & auctorẽ, Tertullianus aduersus Marcionem lib. 2. à capite 5. vsque ad finem illius libri, & passim aduersus Simonianos & Valentinianos hæreticos grauissimè defendit, & Iacobus Pamelius, Theologus Louaniensis doctissimus, articulum illum de libero hominis arbitrio contra neotericos ad dictum cap. 5. Tertulliani insigniter declarat.

Deus custos, rectorquè est vniuersi, animus ac spiritus, mundani huius operis. Dominus & artifex, cui nomen omne conuenit: Ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, & sè sustinens vi sua. Seneca. Natural. Quæst: lib. 2. c. 45.

66. PECCATOR MISERESCENS SVI.) Miserere animæ tuæ, placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius. Eccles. c. 30.

Egredimini de medio Babylonis populus meus, & saluet vnusquisque animam suam, ab ira furoris Domini. Hierem. c. 51.

67. MEMORIA NOVISSIMORVM.) In omnibus operibus tuis memorare nouissima, & in æternum non peccabis. Eccles. 7.

Gens

Gens abſque conſilio & prudentia : Vtinam ſa-perent & intelligerent nouiſſima. Deuter. 32.

Nil ſic hominem reuocat à peccato, quàm frequens mortis cogitatio. Auguſt.

Tota vita ſapientis, mortis eſt meditatio. Plato.

Nihil tàm æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huis incerti. Sen. ep. 114.

Mortem ſemper præ oculis habendo vitam hanc tranſigere debemus. Lucian. in Charont.

Annos æternitatis ſemper in mente habe. Pſ. 76.

Nunquàm ſatis dicitur, quod nunquàm ſatis diſcitur, quibuſdam remedia monſtranda, quibuſdam inculcanda ſunt. Sen. ep. 27.

Nihil ad rem pertinet, quo loco & tempore deſinas viuere, Tantum bonam clauſulam impone. Sen. Ep. 77. omnino in fin.

68. Ivdicii Assidva Recordatio.) Quidquid ago, ſiue comedo, ſiue bibo, ſemper vox illa ſonat in auribus meis, ſurgite mortui, venite ad Iudicium. Hieronym.

69. Frænvm Peccatorvm.) Quando te inuitat appetitus ad peccandum, cogita extremum Iudicium. Baſil.

Ira furor breuis eſt, animum rege, qui niſi paret,
Imperat; hunc frænis, hunc tu compeſce catenis.
Horat.

70. COGITA MORI.) Ita te obſerua & alloquere, ac ſi dies ille laturus ſententiam de omnibus vitæ annis venerit: Quidquid facies, reſpice ad mortem. Sen. epiſt. 114.

Nulla res magis ad extirpanda vitia prodeſt, quàm cogitatio mortalitatis: ſibi quiſque vt alteri dicat, quid iuuat tanquàm in æternum genitos breuiſſimam ætatem diſſipare? Sen. de ira. lib. 3.

Erit quandoque terminus rebus humanis, cum partes terræ interire debuerint, abolerique funditus. Sen. natur. quæ. lib. 3. c. 29. Lipſ. Phyſiolog. lib. 2. c. 20. & 21.

Deſinet ira (ſicut etiam alia vitia) & erit moderatior, qui ſciet ſibi quotidie ad Iudicium veniendum eſſe. Sen.

Magna nobis, ſi diſſimulare non volumus, neceſſitas probitatis, cùm ante oculos Iudicis cuncta cernentis agamus. Boët. in Proſa vlt: lib. 5. de conſol.

71. IVDICIVM EXTREMVM ET GENERALE.) Horrorem extremi Iudicij nec linguæ hominum effari, nec mens humana cogitando capeſſere poteſt, de quo Euangeliſtæ Matth. 24. & 25. Marc. 13. Luc. 21. & 23. ibi; Dicent montibus cadite ſuper nos, & collibus, operite nos. S. Ioan. in Apocal. c. 6. ſub. fin. Addantur his quæ Lactantius lib. 7. c. 16. ſcribit vbi illud Sibyllæ allegat.

Σάλ-

Σάλπιγξ οὐρανόθεν φώνην πολυτρήνον ἀφίσει,
Tuba è cœlo luctuoſam vocem emittet.

Cauſas quare Deo placuerit, tametſi in particulari iudicio, de quo ſupra nu. 60. ſuam quiſque ſententiam vitæ vel mortis acceperit, nihilominus poſt finem mundi generale iudicium exercere, vide apud Ioſephum Acoſtam de nouiſſimis temporibus lib. 1. c. 8.

71. Deo Omnia Manifesta.)
ἔστιν ἡ πρόνοια ἰδίᾳ, καὶ δημοσίᾳ, καὶ πανταχοῦ.

Eſt prouidentia priuatim, & publice, & vbiq;. Clemens Alexandrinus.

Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu Dei, omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo. Ad Hebr. 4.

Non vniuerſo hominum generi ſolum, ſed etiam ſingulis à Dijs Immortalibus conſulitur, ac prouidetur. Cicero lib. 3. De natura Deor.

Conditor orbis ex alto cuncta intuetur,
Quæ ſunt, quæ fuerint, veniantque,
Vno mentis cernit ictu:
Verum hunc poſſis dicere ſolem. Boet.
de conſ. lib. 5. metro. 3.

Deus nouit omnia, non ſolùm quæ fuerunt & ſunt, ſed etiam futura, & ſingulares cuiuſque motus, animum inſpiciens intrinſecùs omnium & ſingulorum, æternam habens intelligentiam, & quod

in theatro fit ſenſim, ſcilicet inſpiciendo, circumſpiciendo, conſpiciendo, hoc in Deo ſimul fit, & aceruatim. Omnia enim & ſingula intuetur vna applicatione, quam Græci μίαν πεοβολὴν vocant. Hinc Ægyptij oculos ex pretioſiſſima & perſpicaciſſima quaque materia fabricabant, & in templis Dijs ſuis conſecrabant, tacitè ſignificantes, quòd Deus omnia omninò videt. Hæc ex Clemente Alexandrino refert opt. & Doctiſs. Dom. Albertus Hungerus, nuper Proconcellarius vniuerſitatis Ingolſtadianæ, in aureo illo ſuo precum Chriſtianarum libro. ca. 10. metro. 3. ex Cyrillo.

ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γινόμενα.

Oculus Iuſtitiæ omnia, quæ facta ſunt, fiunt & futura ſunt, videt.

Ὀξὺς θεοῦ δ' ὀφθαλμὸς εἰς πάνθ' ὁρᾷν.

Acutus Dei oculus ad res omnes cernendas. Menand.

Deus ab æterno cuncta proſpiciens prouidentiæ cernit intuitu, & ſuis quæque meritis prædeſtinata diſponit. Boët. Proſ. 2. lib. 5. Plura, ſi libet, videre licet, apud Lipſium, de Conſtantia lib. 1. c. 13. & 14. & Phyſiol. lib. 1. c. 11.

73. De Stylo Ferreo.) Stylo ferreo ſcripta ſeu notata eſſe in libris ſacris illa intelliguntur, quæ perpetuo ſunt manſura, omnibus mutationibus exempta. Sic illud in Iob. ca. 19. Quis mihi

mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo? Sic Hierem. cap. 17. peccatum Iudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo.

Sic tres Parcæ FATI amanuenſes, ſcribæ vel Secretariæ à poëtis finguntur, ſtylo ferreo vel etiam adamantino decreta Dei immutabilia adnotare, & in libros vitæ & mortis omnia & ſingula referre. Delebo (inquit Dominus. Deutor. c. 22.) illum, qui mihi peccauerit, de libro vitæ. Pſal. 68. & Apoc. c. 20.

74. ASSESSORES VLTIMI IVDICII.) Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael. Matth. 19.

Quæ de Æaco, Minoë & Rhadamanto Poëtæ fabulantur, vulgo nota ſunt.

75. MILLE MILLIA.) Millia millium miniſtrabant illi, & decies centies centena millia aſſiſtebant ei, Iudicium ſedebat, & libri aperti ſunt. Dan. c. 7.

76. VALLIS IOSAPHAT.) Conſurgent & aſcendent gentes in valle Ioſaphat: quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu: Ioël. c. 3.

77. PRÆDESTINATIO.) Spectator cunctorum Deus, viſioniſque eius præſens ſemper

Æternitas, cum noſtrorum actuum futura qualitate concurrens, bonis præmia, malis ſupplicia diſpenſat. Boët. l, 5 de conſol, proſ. vlt. ſub fin.

Altiſſima eſt ſcientia & prouidentia Dei, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. Sapient. c. 8.

78. SENTENTIA EXTREMI IVDICII.) Multi ex his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper, &c. Dan. c. 12.

Ibunt hi (maledicti & damnati) in ſupplicium æternum, iuſti verò in vitam æternam. Matth. 25.

79. FVRIÆ INFERNALES.) Furias tres, Megæram, Alecto, & Theſyphonen, examinatrices conſcientiarum & commiſſorum delictorum executrices ſtrenuas, faciunt Poëtæ, ſignificare volentes, â Dijs odio & punitione perſequendos homines malos, ſine intermiſſione. Phurnutius in explicatione fabularum Poëtarum, allegatus quoque à R. P. Pontano. in lib. 6. Æneid. pag. 1470. in princ.

80. NON TARDANDVM.) Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diē: ſubitò enim venit ira illius, & in tempore vindictæ, diſperdet te. Ecclеſ. c. 15.

Deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Sen. ep. 39. in fine.

Maxima

Maxima vitæ iactura dilatio eſt, illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præſentia, dum vlteriora promittit. Sen.

Qui omnes dies tanquam vitam ordinat, nec optat craſtinum, nec metuit. Senec. de vita beata.

Maximum viuendi impedimentum eſt expectatio, quæ pendet ex craſtino, Seneca.

Alexander Magnus interrogatus, quomodo tot & tam magnas res, tam celeriter & fæliciter geſſerit, reſpondit, ὀυδὲν ἀναβαλλόμενος, hoc eſt, nihil differendo, Alciatus refert in problematis.

81. Non Dormiendvm.) Venit tempus, prope eſt dies occiſionis. Eccleſ. c. 7.

Quid inter cedere & venire diem differat, Iureconſultis notum eſt, ex L. Cedere diem. ff. De verb. ſignif.

Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Ioan. ca. 5.

Scitote, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. S. Paul. ad Rom. 13.

Hi iam verè viuere, & animo frui videntur, qui alicui negotio intenti, præclari facinoris aut artis ſuæ famam quærunt. Salluſt.

Omnes horas complectere; ſic fiet, vt minus ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum inieceris, dum

dum differtur, vita transcurrit: Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum. Sen. ep. 1.

Inter spem, curamq́, timores inter, & iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Horat.
Tu quamcunq́ Deus tibi fortunauerit horam,
Gratà summe manu, nec dulcia differ in annum.

Interrogatus Musonius, quisnam optime diem extremum claudere possit? qui (inquit) postremum sibi diem semper instare proposuerit. S. Maximus.

82. VIA ANGVSTA AD COELVM.) Intrate per angustam portam: quia lata porta est, & spaciosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Matth. 7.

Contendite intrare per angustam portam, quia multi (dico vobis) quærent intrare, & non poterunt. Luc. 13.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. Matth. 20.

Non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Psal. 13. Paul. ad Rom. 13. Esa. c. 56. in fine. vide superius, numero. 32.

83. TIMOR DOMINI.) Deum time & mandata eius serua, hoc est enim omnis homo. Ecclesiastes cap. vlt.

Corona sapientiæ, Timor Domini: Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Eccl, c. 1. & 2. per totum. Ti-

Timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor auferetur, ſi fuerit homini perſuaſum, quod iræ ſit expers Deus, quem moueri & indignari, non modo cum iniuſta fiunt, communis vtilitas, ſed etiam ratio ipſa & veritas perſuadet. Lactan. de ira Dei. ca. 12. Adde, quæ ſuperius nu. 61. & 65.

84. TRIA IVRIS PRÆCEPTA,) Honeſté viuere: neminem lædere: ſuum cuiq; tribuere.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo (per intellectum) & in tota anima tua (per voluntatem) & in tota mente tua (per memoriam) Hoc eſt maximum & primum mandatum, ſecundum autem ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ. Matthæi 22.

85. FATVM AGNOSCE.) Quod Græcis ab ordine & perpetua ſerie cauſarum inter ſe connexarum, εἱμαρμένην, id latinis (teſte Cicerone lib. 1. de diuinat: & Priſciano) placuit FATVM nuncupare, à fando, tanquam dictum, iuſſum, & decretum diuinum, quo omnia fiunt, reguntur & curantur. Recte igitur fatum vox Dei & ſanctio diuinæ MENTIS à Lipſio indigitatur: Nam nomen FATI, ſicut etiam PROVIDENTIÆ (ex qua FATVM naſcitur, ſeu FATI antecedens eſt) DEO ipſi

ipsi conuenit, ita vt qui DEVM, qui est causa caussarum, à quo omnia suspensa sunt, FATVM & PROVIDENTIAM appellent, non errent, neque peccent, iuxta Senecam Natural: Quæst: lib. 2. cap. 45, Per FATVM igitur DEVS & diuina prouidentia hoc loco intelligatur. Alia de FATO, quatenus illud æternæ mentis ἄῤῥητον καὶ ἀκατάληπτον, inexplicabile & incomprehensibile consilium est, puta quare Deus Iacobum amauit, Esau òdio habuit, quare in die supremæ necessitatis, duobus in lecto vno, vel in vno eodemque pistrino repertis, vnus assumetur, alter relinquetur, hæc, inquam, non sunt huius loci & instituti huc transscribere: Theodidactis & Theologis, tanquam scrutatoribus scripturarum, hæc debentur. Sufficiunt nobis illa, quæ Iustus Lipsius, exactissimus ille rerum omnium scitu dignarum & vtilium indagator, in aureo illo Politicorum suorum lib. 1. c. 4. & Phisiolog. lib. 1. c. 12. & sequentibus aliquot, præsertim c. 17. sub finem, & ante hos in lib. 1. De Constantia à cap. 14. vsque ad 21. compilauit, vbi explicatis veterum Philosophorum & Orthodoxorum Ecclesiæ Patrum Sententijs, duo salubriter monet. Prius quid fatum Christianorum differat à Stoico: alterum à curiosà Fati indagatione cauendum esse, tanquam à re ancipite, periculi plenà. Videatur idem Lipsius in defensione sua posthuma. c. 10.

86. SPES ET FIDVCIA IN DEVM.) Respicite filij nationes hominum & ſcitote, quia nullus ſperauit in Dominum & confuſus eſt. Eccl.c. 2.

Vnicum eſt inter homines, Deumq; commercium, SPERARE ET DEPRECARI: Animæ humanæ deſtitutæ & priuatæ hoc commercio, in extremam incidunt ſeruitutem, quippe vitijs deditæ, rationis propriæ poſſeſſione cadunt, ſua quodammodo propria libertate captiuæ. Boëthius in fine lib. 5. de conſol.

87. VOLVNTATIS HVMANÆ CVM DIVINA VNIO ET CONFORMITAS.) Vt voluntas Domini, ſicut in cœlo, ſic etiam in terra fiat, à Chriſto Domino noſtro, non ſolum docemur, Matth. c.7. Luc. c.11. verum etiam eiuſdem exemplo in paſſione ſua Deum patrem ſic orantis: non mea, Pater, ſed tua voluntas fiat, informamur.

Ab agnitione igitur prouidentiæ diuinæ: à firma in Deum ſpe & fiducia: denique à voluntatis noſtræ cum diuina vnione & conformitate, tranquillitatem, adeoq; beatitudinem hominis dependere, ſanctorum virorum doctrinis & exemplis, quibus pleni ſunt libri & ſacræ omnium temporum hiſtoriæ, admonemur. Conſtitui (inquit Epictetus) & conformaui voluntatem meam, voluntati diuinæ: vult me febricitare? & ego volo: aliquid aggredi? volo. potiri? volo. non potiri? nolo. mori?

ri? volo. Videantur illi, qui ad cap. 77. & 78. Epicteti & in his præcipue ſimplicius commentati ſunt, & Ianus Bernartius Mechlinienſis, doctiſſimus nuperrimus commentator Boëthij in proſam 2.am & vltimam lib. 5, de conſol.

88. AVREA CATENA HOMERI.) Hæc catena Homeri, quem Macrobius omnium diuinarum adinuentionum, tanquam fontem & originem merito admiratur, paſſim apud ſcriptores, ſingulariter apud eundem Macrob. in Som. Scip. 1. c. 14. celebratur, quæ catena nihil eſt aliud, quam inueſtigabilis illa cauſſarum ſeries & connexio; quà ſupera cum inferis, diuina cum humanis, per voluntatem Dei & hominis, inexplicabili Dei conſilio colligata ſunt, & cohærent, vide Lipſium de Conſtantia lib, 1. cap. 14.

89. CVRIOSITAS.) Altiora te, ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ne ſis curioſus. Eccleſ. c. 3.

Qui maieſtatis eſt Scrutator, opprimetur à gloria, prouerb. c. 27.

Noli altum ſapere, ſed time. Paulus. Ad Romanos c. 11.

In arduis & abſtruſis iſtiusmodi quæſtionibus, veluti an, quid, & qualis ſit Deus, an, & quid ſit eius prouidentia & prædeſtinatio, quid fatum;

ſatum, quid neceſſitas, & in ſimilibus quæſtionibus vir bonus & pius debet animum ſuum gubernatori vniuerſi ſubmittere, & ſicut boni ciues legi ciuitatis parere, in cauſas vero legis & quid legislatoris animum ad aliquid ſtatuendum mouerit, non inquirere. Arrianus ad Epictetum lib. 1. cap. 12.

Curioſitatibus iſtiusmodi, quas Deos quoque odiſſe ſcribitur, obuiam eundum eſt per patientiam & conſtantiam.

90. SCALA IACOBI PATRIARCHI.) Videtur Homerus. Iliad. lib. 8. catenam ſuam aureã ex Moiſis ça. 28. Geneſ. ſumpſiſſe, & ſcalam illam, quâ in terris poſitâ, & ad ſummum cœlum, vſque ad Deum ipſum pertingente, Iacob lapidi incubans, & altum dormiens, vidit angelos aſcendentes & deſcendentes, tanquam nuncios inter Deum & Homines, in catenam auream mutaſſe. Videatur R.us admodum & doctiſſimus P. Benedictus Pererius in d. ca. 28. Geneſ. in tert. diſp. vbi tandem prouidentiam, qua Deus res humanas non ſolum coràm intuetur, ſed etiam curat & moderatur, per Moiſem primùm, & poſt illum, ſi non etiam ex illo, per Homerum ſignificatam eſſe haud obſcurè innuit.

91. ANGELI CVSTODES.) Pertinent eodem, & ad iſtam ſcalam Iacobæam faciunt, quæ in libro de

de Deo Socratis Apuleius, vt philoſophus Platonicus (quem in illo libro egregie præſtitit, alioqui non boni nominis ſcriptor) commemorat de diuinis medijs poteſtatibus, quæ inter ſummum æthera, & infimas terras interſitæ, deſideria hominum & merita ad Deum referunt, inter terricolas & cœlicolas, hinc precum, inde donorum repræſentatores, qui vltro citroque portant, hinc petitiones, inde ſuppetias, ceu quidam vtrinque interpretes & ſalutigeri. Per hos cuncta cœleſtium voluntate, ſed prædictarum diuinarum poteſtatum obſequio & operà & miniſterio dirigi.

Ibidem idem Apuleius, Ex ſublimiore (inquit) ἐυδαιμόνων copià, Plato autumabat ſingulis hominibus in vita agenda teſtes & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint, arbitri omnium, non ſolum actionum, verum etiã cogitatorum: ac vbi vità reddità migrandum eſt, eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare & trahere, veluti cuſtodiam ſuam ad iudicium, atquè illis in causà dicendà aſſiſtere: ſi quæ comentiatur, redarguere, ſi quæ vera dicat, aſſeuerare, prorſus ipſius teſtimonio ferri ſententiam. Hæc ex Platone Apuleius. Idem ferè Arrianus ad Epictetum lib. 1. c. 12. Deus (inquit) procuratorem vnicuique addidit genium cuiusque, illumq; illi cuſtodem tradidit, & tali quidem, qui nec dormiat, nec decipiatur.

Quid

Quid de Angelo custode clarius? quid euidentius? plnra, si libet, videantur apud Lipsium Phisiolog. lib. 1. dissertat. 19. & 20. vbi de Genijs bonis & malis, eorumque officijs & effectibus multa, Platonem, Apuleium, & alios sacræ & profanæ Philosophiæ Patres allegans.

92. DEO FIDENDVM.) Consultissimum est, vt qui ad veram beatitudinem, animique tranquillitatem, non solum in hoc mundo, sed etiam in futuris sæculis assequendam aspiramus, illud S. Petri Apostoli consilium, vel potius præceptum sequamur. Satagite (ait ille in ep. sua. 2. c. 1.) vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.

Quin etiam Seneca & Epictetus, quamuis ambo stoicissimi, ad cœlestis Numinis auxilium in aduersis, & huius mundi procellis, tanquam ad sacram anchoram confugiendum esse suaserunt. Vota talia (inquit Seneca Ep. 10.) suscipe; Roga Deum bonam mentem, bonam valetudinem animi: deinde corporis: Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

Idem Seneca Epist. 107. illud Cleantis Philosophi commendat.

Duc me parens, celsiq; Dominator Poli,
Quocunq; placuit, nulla est parendi mora,
Adsum impiger.

Ex Seneca Epictetus in suo Enchiridio cap.77. & 78. In quouis incepto (ait) hæc optanda sunt: Duc me, ô Iupiter (Deus) & tu fatum (voluntas & prouidentia Dei) eò, quo à vobis sum destinatus: sequar enim alacriter. Quid hoc est aliud, quam quod nos quotidie oramus. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra?

93. Genio sev Angelo Bono Parendvm.) Plato autumauit, singulis hominibus in vita agenda testes & custodes singulos additos, & prudentis, sapientisque hominis esse, ad quæcunq; vel agenda vel metienda animum suum formare, & scire debere, nihil præ custode suo, nec intra animum, nec foris esse secreti, quin omnia testis ille, & custos prædictus curiosè participet, omnia visat, omnia intelligat, in ipsis penitissimis mentibus vice conscientiæ diuersetur. Hic (Genius seu angelus bonus) prorsus custos, singularis Præfectus, domesticus speculator, proprius curator, intimus cognitor, assiduus obseruator, indiuiduus arbiter, inseperabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si ritè animaduertatur, sedulo cognoscatur, religiosè iustitiâ & innocentiâ colatur, in rebus incertis prospector, in dubijs promotor, in periculosis Tutator, egenis opitulator erit, qui tibi queat, tum in somnis, tum

in

in ſignis, tum etiam fortaſſis coràm, cum vſus poſtulat, mala aueruncare, bona proſperare, humilia ſublimare, nutantia fulcire, obſcura clarare, ſecunda regere, aduerſa corrigere. Hæc ferè ad verbum ex Apuleio in d. lib. de Deo Socratis, in quo omnino Platonicus eſt. Platonem vero, vt multa alia, quæ diuinitatem ſapiunt, vnde diuinus merito appellatur, ſic hanc quoque cognitionem, De angelis, ſeu bonis Genijs, ex libris Moſaicis & Propheticis hauſiſſe & didiciſſe, plus quam veriſimile eſt. In confeſſo enim eſt, Platonem, poſtquam myſterioſa dogmata Pythagorica in illa Italiæ parte, quæ olim magna Græcia, pòſt & etiam nunc Calabria vocatur, didiciſſet, inde in Ægyptum tranſmiſiſſe, vbi cum Vatibus ſeu ſacerdotibus Memphiticis, & Hieropolitanis diu multumque conuerſatus, non ſolum de Philoſophicis & Naturalibus, ſed etiam de Deo & diuinis multa didicit, & ad Græcas ſcholas ſecum aſportauit. Quis enim omnium hominum homini (verba ſunt Lipſij hac ipſa de re agentis, in lib. 1. Phiſiologiæ cap. 19. in fine) illa, quæ Plato de Deo, de Angelis, & alijs diuinis ſcripſit, ſuggeſſiſſet, aut ſuggerere potuiſſet, ſacrorum noſtrorum arcanis ſic alludentia & vicina? Creditur Plato in prædicta Ægyptiaca peregrinatione ſacra Biblia legiſſe, & ex Ieremia Propheta, qui plus minus annis 220.

ante ipſum ibi aliquot ſupra quadraginta annos, veram de Deo & diuinis doctrinam tradidit, & poſt ſe reliquit, illa quæ paulo ante ex libris Moſaicis & pſalmis Dauidicis relata ſunt, didiciſſe, & in libros ſuos retuliſſe.

De Angelis ſic habet textus Moſaicus, Exodi. c. 23. Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paraui.

Et pſalmo. 90. Angelis ſuis (ait Regius propheta) mandaui de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

94. VIRTVS LABORE COMPARANDA.) Heſiodus.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν γ', εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπήπερ ἐοῦσα. hoc eſt.

Ante virtutem vero ſudorem Dij poſuerunt
Immortales: longa vero & ardua via eſt ad ipſam,
Primumq; aſpera: vbi vero ad ſum̃um ventũ fuerit,
Facilis deinceps eſt, quantumuis difficilis fuerit.

Lucilius ita:

Virtutem voluere Dij ſudore parari,
Arduus eſt ad eam, longusq; per ardua tractus,
Qui primum eſt aſper: ſed vbi alta cacumina tangis,
Fit facilis, quæ dura prius fuit inclyta virtus.

Mox

Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.
Laborent necesse est ijs, qui fortunati esse volunt. Menander.

95. ANIMVS INDVRANDVS.) Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum longe abstrahendus. Sen. ep. 52.

Nihil pulchrius consuetudine, quâ quis die consummato, & ad quietem nocturnam se recipiens, animum suum ita examinat; Quod malum tuum hodie sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Sen. lib. 3. de ira, de Sextio hoc referens & commendans.

96. VERVM ET FALSVM GAVDIVM.) Vt Iustum pro Vero, ita vicissim Verum pro Iusto; tam à poëtis, quam ab alijs authoribus vsurpari, Doctissimus Pater Iacobus Pontanus lib. 12. Æneid. ante nu. 695, ostendit, Augustanæ Editionis.

Vera virtus gaudium præstat perpetuum & securum: si, quod obstat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam diem vincunt.

Quod verum & vnicum sit gaudium hominis sapientîs, quod item falsum viri stulti, pete ex Sen. Ep. 59. & ex Lipsij Manuduc. lib. 3. ca. 5. & præcitato patre Pontano ad illud Virgilij. lib. 6. Æneid.

Atq; vt supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus nosti.

Item ad illud eiusdem Virgilij, Mala mentis gaudia.

Sicut verum ex virtutum, sic falsum gaudium ex vitiorum conscientia nascitur. Multum enim refrænat hominis conscientiam, si credamus nos in conspectu Dei viuere: si non tantum quæ geruntur, videri de super, sed etiam, quæ cogitamus & loquimur, videri à Deo sentiamus. Lactant. de ira Dei. ca. 1.

97. POENITENTIA.) Subinde considera, quam pulchra res sit consummare vitam ante mortem; deinde expectare aliquam temporis sui partem. Sen. ep. 32.

Improbarum voluptatum, etiam post illas, pœnitentia est. Sen. ep. 27.

Corpusculum hoc vanas suggerit voluptates, breues pœnitendas, & nisi magna moderatione temperentur, in contrarium ituras. Sen. ep. 23.

Metanæa perpetua comes occasionis oblatæ, sed neglectæ. Hæc Metanæa, quæ se Deam fingit, ita de se gloriatur.

Sum Dea, quæ facti, non factiq́, exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanæa vocor.

Vide Erasmum in prouerbio. nosce te ipsum.

99. TARDA RESIPISCENTIA.) Vtinam de vita beata non in conspectu mortis ageremus. Sen. ep. 68.

Nam qui peccatum moriens dimittit, & ipsa

In serum tempus differt admissa fateri,
Non tam dimittit, quam dimittatur ab ipsis.

Alcimus Poëta.

Sero animus ad periculorum patientiam, post pericula instruitur: non putaui hoc futurum: nunquam hoc euenturum credidissem: quare autem non? Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest. Sen. de tranquill. vitæ.

Serum est cauendi tempus in medijs malis, Sen. in Thyeste.

Hoc tibi citra diem mortis præsta, vt moriantur ante te vitia. Sen. ep. 27.

99. SENECTVS ELEMENTARIA.) Qui in primis florentis ætatis suæ annis, quando crines flauescunt, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, & ætas iuuenilis longioris vitæ spacium repromittit: quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus incundior: qui in hac (inquam) ætate se domant, & Deo sociant, tales offerunt Deo hostiam viuentem & immaculatam. Audiat hæc senûm sera conuersio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, ipsi in se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed, vt ita dicam, porcum cruentatum. Hugo de S. Victore.

Turpis & ridicula res eſt elementarius ſenex, hoc eſt, primum incipiens diſcere: iuueni parandum eſt, quod ad vitam beatam pertinet, ſeni vtendum. Sen. ep. 36.

Male viuunt, qui ſemper viuere incipiunt: quidam viuere tunc incipiunt, cum deſinendum eſt; quidam ante viuere deſierunt, quam inciperent. Sen. ep. 23.

Fœda eſt virorum leuitas, quotidie noua vitæ fundamenta ponentium, nouas etiam ſpes inchoantium. Quid turpius eſt, quam ſenex viuere incipens? Sen. ep. 13.

Satis multum temporis ſparſimus, incipiamus in ſenectute vaſa coligere. Sen. ep. 19.

100. AGNOSCE: DOLE: EMENDA.) Symbolum eſt Sereniſſimi, optimi & religioſiſſimi Ducis Wilhelmi Quinti; qui poſtquam vtramque Bauariam ab anno 1579. vſque ad annum 98. ſingulari prudentia & fœlicitate gubernauit, diuerſis templis & collegijs religioſorum, Viduarum, Virginum, Orphanorum, aliorumque pauperum domibus exædificatis & fundatis, abdicato gubernandi onere, eodemque in Sereniſſimum Maximilianum, tali patre digniſſimum filium, inter quinq; natu maximum, paternarum Virtutum omnium, præſertim Religionis & Iuſtitiæ (quæ propria ſunt Principum ornamenta) æmulum & ardentiſſimum imita-

imitatorem, non ſolum conſentientibus, ſed etiam applaudentibus ampliſſimæ patriæ Statibus, tranſlato, ſecutus exempla multorum Regum, Principum, aliorumque magnorum & piorum ſapientumque virorum, vitam beatam in hoc mundo meditantium, relictis omnibus impedimentis & renunciatis diuitijs officijs & voluptatibus, hoc vnũ in ſummam vſq;, quà hodieque pijſſimus iſte Princeps viget, ætatem egit, & adhuc agit, vt viuere ſciat & mori, vt in ſimili loquitur Seneca de vitæ breuitate.

101. APVM INDVSTRIA.) Debemus imitari apes, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quidquid attulêre, diſponunt, ac per fauos digerunt. Sen. ep. 84.

102. FORMICÆ PRVDENTIA.) Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem. nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi & congregat in meſſe, quod comedat, prouerb. c. 6. & 30.

Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis. prouerb. ca. 10.

103. Nihil æquè mirandum, quam cum homines & cupiunt optime viuere, & ſciant non alia re, quam animo viui, nec fieri poſſe, quin, ſi optime

 viuas,

viuas, animus colendus ſit, tamen animum ſuum non colant. Apuleius de Deo Socratis.

104. REGNVM COELORVM.) Primùm quærite regnum Dei, & omnia adiicientur vobis, Matth. 6.

Res optimas non magno parabiles fugere, dementia eſt. Sen. ep. 5.

Sapiens non amat diuitias, ſed mauult, non in animam illam Gazam, ſed in domum recipit: non reſpuît poſſeſſas diuitias, ſed contemnit. Sen. de vitæ breuit. Diuitiæ ſi affluunt, nolite cor apponere. Pſal. 61.

Vt æterna cœleſtis theſauri præmia capere poſſimus, quam primum amittendæ ſunt huius præſentis vitæ illicibiles voluptates, quæ animas hominum pernicioſiſſima ſuauitate deliniunt. Lactant. lib. 7. ca. 27.

105. STVLTA MEMORIA.) Stulte, quid tibi prodeſt memoria iſta, quam poſt mortem hic relinquis, ſi, vbi es, torqueris, vbi non es, laudaris? Chryſoſt.

Quæ ſtultitia eſt, illic relinquere theſauros, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quo iturus es? Illic ergo ſubſtantiam tuam colloca, vbi patriam habes perpetuam. Chryſoſt.

Οἷά ἐστι τὰ τῶν κακοδαιμόνων πράγματα?

O qualia ſunt infelicium & miſerorum hominum ſtudia? Lucian. in Charon, Gens

Gens ſine conſilio & ſine prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent, & nouiſſima prouiderent: Dominus iudicabit populum ſuum. Deut. 32.

106. Notvs Deo.) Deo cogniti ſunt illi, quorum nomina, vt electorum, in libro vitæ, vel viuentium vel iuſtorum ſunt deſcripta, de quibus Exodi. ca. 20. Ioſue. ca. 10. 2. Regum ca. 1. Pſal. 68. ad Philipp. ca. 4. in Apocal. Ioan. ca. 3. 20. & 21.

107. Notvs Sibi.) Per notionem ſui ipſius proximo itinere ad beatitatem veram, tam temporariam, quam æternam perueniri, integris tractatibus ſuper illud, γνῶθι σεαυτὸν, Noſce te ipſum, docemur. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. c. 9, ex Iuuenal. De cœlo (inquit) deſcendit γνῶθι σεαυτὸν. Videatur Eraſmus in prouerb. Noſce te ipſum: vbi inter reliqua ſcitu digniſſima, etiam hoc monet, nihil eſſe difficilius, quam noſce ſeipſum, & nihil facilius, quam alios admonere ſeu reprehendere. Collectis ab Eraſmo adde Epiſtolam Senecæ. 50. vbi de Harpaſte, vxoris ſuæ fatua agit, ſuum ſibi quemque fatuum eſſe demonſtrans. Videatur & Lipſius lib. 3 cap. 3. Phiſiologiæ, vbi cognitionem, ſicut etiam ignorantiam ſui, circa tria verſari ex Platone docet, Nimirum circa opes, & honores: circa corpus: & circa animam.

108. Mors

108. MORS IMPIORVM.) Qui se vitijs & sceleribus contaminauerit, voluptatique seruierit, is damnatus æternam luet pœnam. Cicero allegatus à Lactant. lib. 7. c. 10. vbi de duabus, quæ homini propositæ sunt, vijs, quarum altera est animæ, altera corporis, & de duabus mortibus, quarum vna pertineat ad corpus, altera ad animam.

Καὶ γὰρ καθ' ᾅδου δύο τρίβους νομίζεται:
Μίαν δικαίων, χ' ἑτέραν τῶν ἀδικαίων. Hoc est,
Nam ad inferos (intellige post mortem) duæ sunt
Viæ: vna iustorum, altera iniustorum. Phocylid.

Vide superius ad verbum PRÆDESTINATIO nu. 77.

Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi. Horat.

Scimus vt impios
Titanas, immanemque Turmam
Fulmine sustulerit caduco. Horat.

109. IVGVM DOMINI.) Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11.

Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum. Deut. c. 30.

Omnium virtutum tutela facilior est: vitia magno coluntur. Sen. de ira l. 2.

110. OMNIA CVM DEO.) Omnia possum in eo, qui me confortat, S. Paulus ad Phil. 4. Non

Non eſt difficile præceptis Dei obedire, ſi voluntas adſit. S. Hilarius.

Qui voluntati Deorum paret, hunc Dij ipſi præcipuè exaudiunt. Homer.

111. ARBITRII LIBERTAS.) Appetitus tuus ſub te eſt, & tu dominaberis illi. Gen. c, 3.

A recta ratione, quæ eſt anima omnium legum, (c. Erit autem lex: diſtinct. 4.) alienum eſt, legem poſitam eſſe ei, qui obſequium legi debitum non habeat in ſua poteſtate: & rurſum, quomodo comminatio mortis transgreſſioni legis adſcribetur, ſi non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputabitur? Tertull. aduerſus Marcionem lib. 2, ante nu. 5. vide ſuperius in verbo. Prædeſtinatio, num. 77.

Manet ergo mortalibus intemerata arbitrij libertas, vnde nec iniquæ ſunt leges, ſicut diuinæ, ſic & humanæ, quæ ſolutis omni neceſſitate voluntatibus pœnas præmiumque proponunt. Boëtius lib. 5. de conſolatione. proſa vltima, ſub finem. Vide quæ ſuperius ex Tertulliano nu. 20. & inferius nu, 118. allegata ſunt.

112. RELIGIO.) *ἐυχῆς δικαίας ὀυκ ἀνήκοος θεὸς.* Ad iuſtas præces non obſurdeſcit Deus.

τόλμη δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει.

Conantem iuſtum etiam Deus adiuuat. Menand.

θεὸν σέβου, καὶ πάντα πράξεις εὐθέως.

Deum

Deum cole, & omnia tibi prospere succedent.

Idem Menand.

Nulli sunt tam feri, & sui iuris affectus, vt non disciplinà domentur: Quodcunque sibi imperat animus, obtinuit: Vino quidam, alij Venere, quidam omni humore interdixêre corporibus. Sen. de ira lib. 2.

Nihil est difficile, cuius sibi ipsa mens patientiam indicit. Seneca.

Vim temperatam Dij quoque prouehunt
in maius: ijdem odêre vires
Omne nefas animo mouentes. Horat.

113. PIETAS AD OMNIA VTILIS.) Ad omnia vtilis est pietas, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. 1. Tim. c. 4.

Tunc (intellige, quando ante ibit faciem tuam iustitia tua) inuocabis, & dominus exaudiet, & sanabit, & dicet: Ecce adsum. Esa. 58.

Non sunt Dij fastidiosi, non inuidi, admittunt, & ascendentibus manus porrigunt.

Miraris homines ad Deos ire? Deus ad homines venit. Nulla sine Deo mens bona est. Sen.

Nullus diuina sorte infortunatus nimium tristetur: forsan enim nasciturі boni occasio fuerit. Menand.

Non tristabit iustum, quicquid illi acciderit: impij autem replebuntur malo. Prouerb. ca. 12.

Con-

Conciliat diuos pietas & Tartara vincit. Orph.

Iustæ humilitatis precio, inæstimabilem vicem diuinæ prouidentiæ promeremur. Boet. prof. 2. lib. 5. sub fin.

114. Animalis Homo.) Animalis homo non percipit illa, quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2.

Animales homines verè sunt illi, qui à Tertulliano, & alijs Psychici nominantur, quorum religio studio carnis constabat, nimirum in πολυγαμίᾳ, & πολυφαγίᾳ: hoc est, in multiuorantia & multinubentia. Peruersi difficile corriguntur. Eccles. 1.

115. Æternitas Incomparabilis.) Mille anni ante oculos domini, tanquam dies hesterna, quæ præterijt. ps. 89. Vide plura superius in verbo, Vita breuis, nu. 5.

Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8.

116. Vita Æterna.) Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Elegi electus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Psal. 8 2.

117. Longævitas Animalium.) Aristoteli cum rerum natura exigenti (hoc est, expostulanti) minime conueniens sapienti viro lis est, illam animantibus tantum indulsisse, vt illa vel sena sæcula edurent, homini vero in tam multa &

magna

magna genito, tanto citeriorem terminum ſtare. Sen. de vitæ breuit. c. 1. vbi Lipſ. plura allegat. præſertim Auſon. Edyll. 18. de ætate.

Quæ fuerint cauſſæ longæuitatis Patrum prioris mundi (puta ante diluuium Noëticum & poſt) & breuitatis vitæ ſubſecutis temporibus, quibus ſumma ætas hominum ad annos 120. æſtimata eſt, videat, qui volet, Auguſtinum Torniellum in Annal. mundi. Anno 1656. fol. 94. Vide ſuperius, nu. 35.

118. ANIMA HOMINIS.) Animam immortalem eſſe, cum id à quo auulſa eſt, (quaſi pars à toto) ſit immortale, Pythagoras docebat, referente Laërtio inter dogmata Pythagorica.

Hominem ortum eſſe ad mundum contemplandum & mirandum, nullo modo perfectum, ſed particulam perfecti eſſe. Cicero lib. 2. de Natura Deorum ſcripſit.

Lactantius lib. 7. c. 6. Idcirco (inquit) Mundus factus, vt naſcamur: ideo naſcimur, vt agnoſcamus factorem Mundi, & noſtri, DEVM: ideo agnoſcimus vt colamus, & immortalitatem pro mercede laborum capiamus.

Inter bonos viros & Deum amicitia eſt, conciliante virtute: Seneca de prouidentia.

Horatius particulam diuinæ auræ vocat: Seneca non vno, ſed pluribus in locis partem Dei, & diui-

diuini ſpiritus diſperſam in corpore, Videatur Lipſius, ex ſacris & profanis ſcriptoribus hac de re diſſertans, De Conſtantia lib. 1. ca. 5. & phiſiolo. lib. 3. ca. 8.

Tertullianus definit animam flatu Dei natam, immortalem, allegatus ſuperius. nu. 20.

Quo ſenſu vel intellectu anima hominis à poëtis & philoſophis nonnullis, præſertim ab Horatio & Seneca, & ante hos, à Pythagora, pars ſeu particula quædam diuini ſpiritus vel auræ dicatur, petendum eſt ex Tertulliani lib. 2. aduerſus Marcionem. c. 9. & in lib. de anima, ca. 11. & vtrobique videndus Iacobus Pamelius, commentator Tertulliani, nimirum non quaſi anima hominis pars ſit materiæ & ſubſtantiæ diuinæ, quod Hermogenes & quidam alij Hæretici contenderunt, ſed quod anima Dei flatu nata, ſicut ex aura aurula quædam oritur, ſic ex afflatu illo, de quo Gen: ca. 2. operationes quædam diuinæ per rationem, quà homo omnibus alijs animantibus antecellit, præſtentur.

119, HOMO IMAGO ET SIMILITVDO DEI.) Quam variè & diuersè hæc verba ex Gen. c. 2. à Doctoribus explicentur, videre eſt apud P. Pererium lib. 4. De creatione hominis, Quæſt. 1. folio Colonienſis editionis. 163. nu. 35. vſque ad 40. vbi ſex proprietates, quæ ex imagine & ſimilitudine Dei cum hominibus communicatæ ſint,

commemorat, quarum prima est, quod animus noster incorporeus est & indiuiduus; 2. quod immortalis. 3. quod intellectu, voluntate, & memoria præditus est. 4. Quod libro arbitrio pollet. 5. Quod capax est supremæ virtutis, diuinæ gratiæ & fælicitatis æternæ, quæ est in clara Visione Dei collocata: 6. Quod cunctis animantibus non solum dignitate præcellit, sed etiam potestate dominatur. Hæc P. Pererius.

Nihil est Deo similius, quam vir animo perfe-fecté bonus, qui tam hominibus cæteris antecellit, quam ipse à Dijs immortalibus distat. Apuleius. De Deo Socratis.

Semina in corporibus humanis diuina sparsa sunt, quæ si bonus cultor excipit, similes origini prodeunt fructus, & pares his, ex quibus orti sunt, surgunt. Seneca. Ep. 73.

120. MORS PIORVM.) Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apocal. c. 17.

Mors optanda Bonis, requies ea certa laborum.

Homerus.

Nemo lugendam mortem censet, quam immortalitas sequitur. Seneca.

Dies ille, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est. Seneca. Ep. 102.

Mors miseriarum finis: contra iniurias vitæ, beneficium mortis habendum: Cogita quantum bon

boni mors opportuna habeat: quam multis diutius vixisse nocuerit. Seneca in consol. ad Marciam. c. 20.

Placet prudentibus non cum corpore extingui magnas animas, sed placidè quiescere. Tacitus.

121. MORS BONIS NON METVENDA.) Effice tibi mortem cogitatione familiarem, vt cum sors tulerit, possis ei obuiam ire. Seneca.

Venientem mortem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illam diu composuit. Sen.

Incorrupti voluptatibus nec mortem horremus, nec Deos: scimus mortem malum non esse, Deos malos non esse. Sen. ep. 76.

Mors perfugium ærumnosæ vitæ: senescentes annos cum rugis, flores mortis cogita: mortem fructum quietis. Mors requies ærumnarum in luctu atque miserijs, cuncta mortalium mala dissoluit.

Quando annis in senectutem vergentibus appropinguare cernis illum diem, quo tibi ex hac vita sit migrandum, cogita, quam purus abscedas, quam innocens ad iudicem venias. Lact. l. 7. ca. vlt.

122. ANIMARVM IN COELVM REDITVS.) Animus morientis, vnde exijt, redit. Animus maiore sui parte illic est, vnde descendit hæret semper origini suæ. Seneca. ep. 41.

Scit quò iturus sit animus viri boni, qui, vnde venit, meminit. Sen. ad Helui. in consol.

Animus ex cœlesti spiritu descendit. Ibidem.

Æquo animo debet rediturus exire. Sen. ep. 36.

Nemo mortem hilaris excipit, nisi qui se ad eam diu composuerit. Ptolomæus.

123. SVS LOTA.) Contigit illis illud veri prouerbium: Canis reuersus ad vomitum, & sus lota ad volutabrum luti. Epistola. 2. Petri in fin.

124. CANIS AD VOMITVM.) Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. prouerb. 26.

125. PECCATA MORTIFERA.) Per peccatum mors intrauit in mundum. Genes. 2. Paulus ad Romanos. 5. & 6.

Peccatum pabulum mortis, Lactantius de vera sapientia lib. 4. c. 25. appellat.

126. TITYONIS IECVR IMMORTALE.) Per vulturem, immortale iecur Tityonis assiduò tundentem, intelligi voluerunt veteres, tormenta malæ conscientiæ, obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessà admissi sceleris admonitione laniantis, tanquam fibris nascentibus inhærendo, nec vlla sibi miseratione parcentis. Macrob. in Som. Scip. lib. 1. c. 10.

Συνείδησις πλήττει τὴν ψυχήν.

Conscientia est, quæ plagas animo infert. Menand.

Secura mens, quasi iuge conuiuium. prouerb. ca. 15.

Videatur Eras. in prouerb. Conscientia mille testes.

Con-

Conſcia mens, vt cuiq; ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemq; metumq; ſuo. Ouid.

127. SISYPHI SAXVM.) Saxum ingens voluere, in efficacibus laborioſisque conatibus vitam terere: atram ſilicem, lapſuram ſemper & cadenti ſimilem, illorum capitibus imminere, veteres ſignificare voluerunt, qui officia, vel poteſtates, vel functiones affectârunt, & conſecuti ſunt, viribus ipſorum impares, qui nunquam ſine timore viuunt, ad quos alluſiſſe videtur Virg. 6. Æneid.

Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentq;, nec auras
Reſpiciunt, clauſæ tenebris & carcere cæco.

128. POMA ET AQVÆ TANTALI.) Quo magis magiſque acquirendi deſiderium cogit præſentem copiam non videre, qui in affluentia inopes, egeſtatis mala in vbertate patiuntur, neſcientes parta reſpicere, dum egent habendis. Hi ſunt illi, quos Tantali epulis ante ora poſitis cruciari, fame & inedia tabeſcere veteres poëtæ finxerunt. Macrob. in Som. Scip. lib. 1. ca. 10.

129. PLANCTVS MALE MORTVORVM.) Quando ſuà ſpe ſe falſos eſſe impij ſenſerint, tum illud, Eheu, frequens in ore, pariter & heu, & hui mihi. Lucian. in Charonte.

130. CHAOS INTER BEATOS ET DAMNATOS.) Eſt inter nos & vos (beatos & damna-

tos) chaos magnum firmatum, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque indè huc transire. Luc. 16.

Quod si ab initio homines perpenderent, mortales se esse, & posteaquam paululum temporis in vita fuerint peregrinati, hinc relictis terrenis rebus omnibus, velut è somno migraturos, fortasse & prudentius & circumspectius vitam ducerent, & cum moriendum esset, minus angerentur. Luci. in Char.

131. POENÆ INFERNALES ÆTERNÆ.) Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Es. 66. Mar. 9.

In die iudicij visitabit illos: dabit enim ignem & vermes in carne eorum, vt vrantur & sentiant in æternum. Iudith, c. 16. In diebus illis quærent homines mortem & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab illis. Apoc. 9.

Dicent damnati montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum. Apoc. ca. 6.

132. SPIRITVS CVM CARNE LVCTA.) Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. ad Rom. 7. sub finem.

Caro concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non, quæcunq; vultis, illa faciatis, ad Gal. 5.

De

De assidua velitatione partium hominis, quæ duæ sunt, RATIO ET OPINIO, vide pulchra & lectu non minus iucunda, quam vtilia, apud Lipsiũ, De constant. lib. 1. c. 5. vbi qualiter RATIO, tanquam nobilior pars animæ, OPINIO corpori, discordi quadam concordia imperet, declarat.

133. MISERICORDIA SEVERITATI PRÆFERENDA.) Melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te. Ps. 62.

Ægyptij imaginẽ optimi principis tali Hieroglyphico exprimebant, vt sceptrũ in manu teneret, in cuius ima parte caput hippodami, ferocissimi animalis, in sumitate caput Ciconiæ, auis mansuetissimæ repręsentaretur: hoc misericordiã, illo iustitiam Regi comendatam esse debere significare volentes: clementiæ tamẽ seu misericordiæ primas deberi.

134. AD DEVM IN ADVERSIS RECVRRENDVM.) Ad Christum dominum in nauicula (Petri) dormientem, exorta valida tempestate accesserunt discipuli, qui cũ ipso in nauicula erant, excitantesq; eum dixerunt, domine salua nos, perimus. Matth. 8.

Plenissimi sunt libri & historiæ, sacræ & profanæ, exemplis & præceptis ad Deum in necessitatib⁹ per preces & obsecrationes publicas & priuatas recurrendum esse. Ad Dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Ps. 92. & mille alijs locis psalmor. & prophetarum.

Vide supra ad nu. 92. ex Sen. & Epict. allegata.

QVESTVS PVBLICI.

De vitioso horum temporum statu, super illud, Io. 1. c. 5.

TOTVS MVNDVS IN MALIGNO POSITVS EST.

OPtima virtutum omnium, & assequendarum & conseruandarum ratio est, si (teste Tertulliano in libro de pudicitia, in principio) natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit. Siquidem omne animi bonum, aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur; sed vt mala magis vincant, quæ vltimorum temporum ratio est, bona iam non nasci licet, ita corrupta sunt semina: nec erudiri, ita deserta sunt optimarum rerum studia: nec cogi, ita exarmata sunt iura.

De vitiosissimo horum temporum statu.

ÆTas parentum nequior
Auis, nepotes protulit
Nos nequiores, posthumos
Datura mox nequissimos.
Qui sic? an instar corporis
Effæti, & annis obsiti,
Mundus senectâ deficit,
Vigoris expers pristini?
Natura quod non præstruat,
Nec ars sequens persuadeat,
Censura quod non corrigat,
Fons hic malorum creditur.
Bonum omne nempe, aut nascitur,
Domi forisué addiscitur,
Aut in foro per Iudicis
Iustum rigorem cogitur.
Natura cum corrupta sit,
Et disciplinæ langueant,
Leges sepultæ dormiant,
Quæ spes bonæ Reipublicæ?

Mens principum caligine
Percussa passim maximà,
Annis, & vsu exercitis
Non obsecundant Patribus.
Iuuenum procax audacia,
Ad gratiam loquentium,
Et vana collaudantium,
Libitum licere Prædicat.
Quis Christiani dogmatis
Sensus, quid Æquum, quid Bonum,
Iustaq; leges postulent,
Se scire iactant singuli.
Qui quod scit, actu comprobet,
Deiq; amore & proximi
Amet bonum, malumq; abhorreat,
Cygno nigro est simillimus.
Qualis fame latrantium
Rabies luporum dissipat
Greges bidentum, deuorans
Captas hiante gutture;
Aut vultures pernicibus
Alis columbas insequi
Campis solent patentibus,

Prenſasq; plumis exuunt;
Sic gens feris immitior,
In ſanctitate nobiles
Sæuit viros, & fœminas,
Stygio furore percita.
Feſtos dies Catholicæ
Eccleſiæ prudentiâ
Iuſtis Kalendis additos
Violat profanis actibus.
Myſterium quo maximo
Aræ imbuuntur hoſtijs
Ipſum Deum ex hibentibus,
Abominantes inſpuunt.
Summum ſacrorum Præſidem,
Christi & Petri Vicarium,
Auctoritas cui clauium
Cœleſtis aulæ credita eſt,
Linguis veneno peſſimo
Tinctis, pudere neſcijs,
Et veritatis hoſtibus
Inceſſit, vrit, impetit.
Sic Antichriſto publicam
Sternens viam, cui proximo

Per atheiſmum ianuas,
Valuaſq; apertas porrigit.
Quæ, prô dolor, quæ tempora
Nos implicant? ad vltimam
Ventum eſt malorum lineam,
Nutant polorum cardines.
Rerum Parens ter Maxime,
Cui cuncta parent, & patent,
Da, ne ruinæ proximos
Nos imparatos obruant.
A criminum contagio
Puros, & innocentiæ
Nos reſtitutos protege,
Ne mors relapſos occupet.
Tu tu interim Sanctiſſimi
Laudem tuere nominis,
Quod cælites, quod inferi,
Quod adorat terra, & omnia.
Quid enim feras, & longius
Patiaris inſolentias
Hominum ſub imo pectore
Dicentium: Non eſt Deus?
Qui proſperis ſucceſſibus

Pro-

Proteruiores in dies,
Sanctos tuos blaſphemijs,
Et nos premunt calumnijs?
Quouſq; facta publicis
Exaſperant conuicijs?
Et gloriantur peſſimis
Peruerſi in actionibus?
An inſtar ignis omnia
Paſſim uorantis in tuos
Nullo viciſſim territi
Metu vltionis ſæuient?
Sic continentur auribus,
Oculiſq; captus, ſuſtines
Tantis tuos iniurijs
Impune diuexarier?
Cur dexteræ potentiam
Tandem tuæ non exeris,
Rerum potens, & vnico
Nutu gubernans omnia?
Te vidit orbis hoſtium
Semper tuorum vindicem,
Qui te laceſſere impijs,
Non deſiêre vocibus.

Testis Pharon Ægyptius,
Quem persequentem hostiliter
Lectos tibi Abrahamidas
Vndæ obruerunt æquoris.
Testis ferox Sennacharib,
Qui Sanctæ ad vrbis mœnia
Percussus ense Archangeli
Turpi fuga dilapsus est.
Testis Syrus, cui fœmina
Vino sepulto & crapulà
Caput abstulit ceruicibus,
Sic liberans Bethuliam.
Furijs nihil minoribus
Tuæ minax Ecclesiæ
Bellona sæuit HÆRESIS,
Inimica paci publicæ.
In hanc tuæ iracundiæ
Torque, retorque fulmina,
Donec vagis erroribus
Ad nos recurrat agnitis.
Nostris quidem non impares
Pœnas damus reatibus,
Sed iniquitates abluat

Flu-

Flumen tuæ clementiæ.
Quibus diu te offendimus,
Culpas fatemur, sed noua
Te dante vitæ regulas
Spondemus & præstabimus.
Nos propter altum dormienti
Cymba in Petræa surgere
Non differ: en queîs vndiq;
Circumdamur periculis.
Quos Æolus Iunonijs
Furijs, & iris excitus,
Euros Nothosq; & Africos
Vna ruentes concitet.
Vt lege Fati debito
Latio pios Æneidas
Excludat, & nunquam sinat
Portum salutis tangere.
Hos tu tridente Maximo
Æternitatis præpotens,
Iunone maior & Æolo
Compone fluctus æquoris.
Tot iam tot annis pendimus
Pœnas malorum, sit satis

Tot millibus myriadum
Haustis Stygis voragine.
Gregem pusillum relliquum
Semen piè credentium,
Et rite te colentium
Cur interire indulgeas?
Placatus adsis, & tuæ
Portas reclude gratiæ,
Nos propter hactenus malos
Caussam tuam cur deseras?
Memor tui sis fœderis,
Quò te Petrinæ Ecclesiæ
Non defuturum tristibus
Fidem dedisti casibus.
Quales apri micantium
Rictu timendi dentium,
Tuo rigatam sanguine
Vastare pergunt Vineam.
Quanta hinc & hinc immanitas,
Et vis luporum proxima
Gregis tui magalijs
Diros minetur impetus,
Pastor Bone, & ter Maxime

Vultu sereno respice,
Apri arceantur Vineâ,
Lupi tuis ouilibus.
Sic nos procul periculis
Pacis refecti pabulo,
Læti tuas per omnia
Laudes canemus sæcula.

SVPER ILLVD.

OMNE QVOD EST IN MVNDO, CONCVpiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia Vitæ. 1. Ioann. c. 2.



Horreſcunt oculi visas in imagine laruas,
Et tamen has cæcum pectus amare solet.

O Ter quaterq; flebiles,
Et mente læua præditos,
Quos dira temporalium
Rerum cupido sic habet;
Vt præter eminentiæ
Titulos, opes superfluas,
Et carnis appetentiam,
Nil expetendum censeant.
Quid quæris hic spectarier,
Vbi meta vitæ tam breuis,
Oblitus ignes Tartari,
Vbi vita Mors perennis est?
Quid habendi amore sordidus,
Arcas metallis optimis
Onerare, villas prædijs
Emptis studes extendere?
Horum nihil post funera
Tecum auferes, hæredibus
Nullas agent qui gratias,
Miser relinques omnia.
Quid ventris appetitibus
Frænum remittis laxius?
Carnis domet petulantiam,

Potus cibiq; parcitas.
Quod ſuauiter te recreat,
Puncto fatiſcit temporis,
Qui mox ſequuntur anxij
Non eſt dolorum terminus.
O cæca mens mortalium,
Si differentias opum
Cœleſtium à terreſtribus
Saperes, fideq; apprenderes.
Illæ appetuntur ſegnius,
Partas fames non deficit,
Haſce impotenter quærimus,
Iuxta eſt repertas nauſea.
Illæ ſolutis orbibus
Cæleſtibus ſtant integræ,
Hæ fluxiles perennibus
Renes adurunt ignibus.
Quid multa? mundus & omnia
Mundi ruentis gaudia,
Velut vmbra fumi tranſeunt,
Vt bulla ſtagnis innatans.
Facti voluptas reprobi,
Euro fugit velocior,
Pœna

Pœnæ patrati criminis
Finem, modumq; nesciunt.
Hoc illud est Titij iecur
Nouem patens per iugera,
Quod vultur vnco forcipe
Rostri perennis vellicat.
Hæc illa moles Sisyphi
Montis voluta ad verticem,
Mox vnde ad ima denuo
Suo residit pondere.
O si, ter Optime Maxime
Considerationibus
Exerceamur talibus,
Memores diei nouissimi.
Quo te sedente Iudice
Totius orbis gentium,
Iustâ bilance congrua
Sua cuiq; reddes præmia.
Oues ab hædis segregans,
Dicturus his : Vos impij
Æternùm ABITE : Vos meæ
VENITE ciues patriæ.

Sic moribus nos integros,
Scelerumq; puros sordibus,
Spes ad futuræ gloriam
Vitæ foueret certior.

F I N I S.

MONACHII.


Ex formis Nicolai Henrici.



Apud RAPHAELEM SADELERVM
Iconographum Ducalem venalis.

cIↄ Iↄc xix.

Cum facultate ſuperiorum



Praz p. 345
Landwehr, German 302
Hollstein XXI, p. 282 (89-99).

With engraved title and 8 emblematical engravings by R. Sadeler.

(10), 124, (2) pp.

Two library-stamps on title.



